FRANCISCI VALLESII Couarrubiani, Controuersiarum naturalium ad tyrones pars prima, continens eas quæ spectant ad octo libros Arist. de physica doctrina.

CVM PRIVILEGIO.

COMPLVTI.

Excudebat Andreas ab Angûlo.

1563.

Esta tassado a tres marauedis.

EL REY.

POr quanto por parte de vos el doctor Valles medico, vezino de la villa de Alcala de Henares nos ha ſido hecha relaciõ, que vos aueis compueſto vn libro intitulado queſtiones phyſicas ſobre Ariſtoteles enel qual auiades gaſtado mucho tiempo y trauajo, y era obra muy vtil y prouechoſa, atento lo qual nos pidio y ſuplico os dieſſemos licencia y facultad para imprimir y vender el dicho libro, y jũtamente con la dicha licencia priuilegio, para que por el tiempo q̃ nueſtra merced y volũtad fueſſe ninguna perſona deſtos nueſtros reynos le pudieſſe imprimir ni vender ſo graues penas, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro conſejo, por quãto enel dicho libro ſe hizo la diligencia q̃ la prematica por nos agora nueuamente hecha diſpone, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nr̃a cedula en la dicha razon y nos touimos lo por bien. Por la qual damos licẽcia y facultad para que qualquier impreſſor deſtos nueſtros reynos puedan imprimir y impriman el dicho libro que de ſuſo ſe haze mincion, ſin que por ello caygan ni incurran en pena alguna y para que por tiempo de ſeys años, que corran y ſe cuenten deſde el dia de la data deſta nr̃a cedula en adelante vos el dicho doctor Valles, o la perſona que ſu poder ouiere pueda imprimir el dicho libro, y mandamos que perſona ninguna ſin vueſtra licencia durante el dicho tiempo de los dichos ſeys años le pueda imprimir ni vender. So pena de perder todos los libros que del ouieren imprimido y mas veynte mill marauedis para nueſtra camara y mandamos que deſpues de impreſſo no ſe pueda vender ni vendã, ſin q̃ primero ſe trayga al nueſtro conſejo, juntamẽte con el original que enel fue viſto que va rubricado y firmado al fin del de Domingo de çauala nueſtro eſcriuano de camara de los q̃ reſiden enel nueſtro conſejo para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conforme al original y ſe taſſe el precio porq̃ ſe ouiere de vender cada volumen. So pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica y leyes de nueſtros reynos. Y mandamos a los del nr̃o conſejo preſidente y oydores de las nueſtras audiencias, alcaldes, alguaziles d̃ la nr̃a caſa y corte y chãcillerias, y a todos los corregidores, aſſiſtente, gouernadores, alcaldes y otras juſticias y juezes qualeſquier de todas las ciudades villas y lugares de los nr̃os reynos y ſeñorios, y a cada vno y qualquier dellos, aſſi a los que agora ſon como a los que ſeran de aqui adelante. Que vos guarden y cumplan eſta nueſtra cedula y merced que aſſi vos hazemos y que contra el tenor y forma della no vayan ni paſſen ni conſientan yr ni paſſar por alguna manera. So pena de la nueſtra merced y de cinquenta mill marauedis para la nueſtra camara. Fecha en madrid a diez dias del mes de agoſto de mill y quinientos y ſeſenta y tres años.

YO EL REY.

Por mandado de ſu mageſtad. Franciſco de Eraſſo.

FRANCISCI VALLESII CONTROVERSIĘ Phyſicæ ad tyrones.

SCripſi in Ariſtotelis libros de phyſica doctrina com
mentaria ſatis longa, quibus non tantùm curaui vt
autoris verba explicarentur, & quæ eſſet propria ejus
ſentẽtia, ſed vt ea ipſa in ſingulis vocaretur in examẽ,
& de re ipſa diſputaretur, vt cõſtare poſſet quid eſſet
probabiliſſimũ. Quare minus mihi videbatur opus
eſſe nunc controuerſias ſeorſum ſcribere, quas commentarijs inſeruc-
ram, ne ſeorſum ſcriptæ facerent, vt in ipſo Ariſtotele quaſi ab alio pla
cita philoſophica, & themata pro publicis diſputationibus petẽda ſint
minus inſudaretur. Verùm quando ne illud quidem video ob inuete
ratam iam conſuetudinem multis videri eſſe ſatis, niſi eo etiam ſtylo,
quo ſingulares diſputationes haberi ſolent, ſcribantur aliqua, lubet ty-
ronum imbecillitati conſulere, & gymnaſtico more quædam thema-
ta proponere, & logicè de illis diſputare, modo illud in primis dicam,
me nihil optare magis, quã vt hæ controuerſiæ ita in gymnaſijs à præ-
ceptoribus enarrentur, vt ipſius Ariſtotelis nulla pars ob has dimitta-
tur ſine enarratione, & à tyronibus domi per ſeſe legantur, habeãturq́;
ob oculos velut formulæ earũ contentionũ, quæ in Complutenſi ſcola
crebrę ſunt: nã ita vtiles erunt haud dubiè, inuenietq́; quiuis quæ requi
ret ſuo modo, & pro ſuo captu. Illi cõmentaria erunt ſatis, hic etiã for-
mulis indigebit. Sin autem ſolæ in ſcolis enarrentur, relicto magna ex
parte (ita vt fit) autore, nihil aliud profectò ſit, quã facere ne quando di-
ſcipuli Ariſt. ſatis aſſueſcant, faciantq́; ſibi eum familiarem: quod ne
eueniret, ego magnopere hunc laborem recuſaui. Neq; me tyronũ cla-
mor valuiſſet impellere, quos ob deſidiam petere quod ſibi eſſet futurũ
inutile iudicabam, niſi noſtri ſenatus acceſſiſſet autoritas, qui me ſupe
riori anno breues quaſdam controuerſiolas meo more ſcibere iuſſit,
quatenus ſcilicet nonnihil ad diſputationes publicas tyrones iuuaren-
tur, non tamen adeò, vt poſſet quiſpiam his contentus in Ariſtotele
ipſo ſegnius laborare: quandoquidem autem hoc tempori ſeruiens, &
claſſico mori, qui inualuit, facio, non poſſum non ſcribere quædam,
quæ excludi magis velim, quàm reduci, quæ ſcilicet alii, quorum ſcri-
pta in manibus multorum ſunt, ſcripſere, & difficile ſit affatim extirpa
ri, cum ſint nunc multi quibus maximè probẽtur. Melius ergo ſit quæ
videbũtur inutilia breui perſtringere, vt ſenſum inſoleſcant: quæ vtilia,
aliquanto fuſius, vt reducantur. Formula hæc ſto.

QVID SIT ID, CIRCA QVOD PRĘCIPVE ac maximè verſetur naturalis philoſophia, an ens mobile, an ſubſtantia mobilis, an corpus mobile, an ſubſtantia ſenſibilis, an aliquid aliud.

NON parum altercantur iuniores de ſubiecto operis de phyſica doctrina, & de ſubiecto totius philoſophię, cuius hoc opus initium eſt, quãquam apud antiquos nulla de hac re altercatio erat, ſed omnes argumentum libri exponebant, vt cuique videbatur, ita vt re ipſa non diſſentirent, etſi nominibus non omnino eiſdẽ vterentur, ſed vt Galen. dicit alicubi, tunc omnes cœperunt res ipſas contemnere, cũ cœperunt de nominibus curioſius diſputare. Sed age, quando huius temporis conditio & conſuetudo, quæ inualuit, poſcit, diſputemus nos quoq;. De phyſicæ ſubiecto *Duplex quæſtio.* duplex quęſtio exiſtit, an idẽ ſit ſubiectum huius operis de phyſica auſcultatiõe, & totius philoſophię, an aliud: deinde quod eſt, ſiue idẽ, ſiue aliud eſt. Quorũdã ſententia eſt, qui ſe in hac re putãt Græcorũ ſentẽtiã tenere, cũ nihil minus faciant, nõ eſſe idẽ argumẽtũ, neq; verò eſſe poſſe: quãdoquidẽ doctrinæ videntur omnẽ rationẽ diſſerendi accipere ab obiecto, ſed hæc phyſica eſt pars philoſophię, huius ergo obiectum pars ſit obiecti illius, & nõ idẽ, niſi idẽ eſt totũ & vna eius pars. Dicũt ergo huius partis argumẽtum eſſe de principiis rei naturalis, totius aũt philoſophię (naturalẽ ſolũ intelligunt, nõ etiã philoſophiã morũ, aut primã philoſophiã, aut diſciplinas quas mathematicas vocãt) eſſe de ente mobili, aut naturali, aut corpore, aut ſubſtantia mobili aut naturali. Mihi verò non videtur totũ hoc opus de phyſica doctrina eſſe de principiis rei naturalis, id quod non aliter indicabo, quàm ex ipſo operis ductu. Primo libro agitur de principiis, ſecundo de natura, quæ etiam eſt in principiis, & de cauſarũ generibus, tertio de motu, & infinito, quarto de loco, vacuo, & tẽpore, reliquis quatuor de paſſionibus motus generatim: ſolus ergo primus liber, & fortaſſe quodã modo prima pars ſecũdi eſt de principiis: nam diſputatio de motu & eius paſsionibus quid habet commune cum principiis? an motus eſt principium rei naturalis? imò verò ipſa natura eſt principium motus: ergo argumentum primi libri eſt de principiis, ſecũdi de natura, reliquorum de motu, atque adeò ipſe Ariſtot. variis inſcriptionibus vſus eſt, & variis appellationibus dum horum mentionem facit, innuens apertè varia libellorum argumenta. Si autem hæc ſunt, vt conſtat vel ex ipſis inſcriptionibus (primus enim dicitur Ariſtotel. περὶ ἀρχῶν, id eſt, de principiis, ſecundus περὶ φύσεως, id eſt de natura reliqui περὶ κινήσεως, id eſt, de motu) cõſtat totius operis nullum argumentum eſſe poſſe, quod minus latè pateat, quàm tota natura, aut generatim motus, aut quod naturale, aut mobile eſt ens, aut corpus: idẽ ergo argumentum eſt huius operis & totius philoſophiæ Ariſ. Sed qua ratione differunt? modo agendi. Hîc enim agitur generatim de paſsionibus rei naturalis, velut artis medicinalis, & omniũ operũ Galeni, & aphoriſmorũ, & omniũ operum Hippo. idẽ eſt argum. etſi methodus docẽdi diuerſa: in tota aũt philoſophia fuſius, & per partes. Itaque re vera phyſica hæc doctrina eſt tota philoſophia, neq; ꝙ ad argumentũ attinet pars eſt illius, ſed ſolũ ob modũ diſputãdi: hîc enim agitur de corpore naturali, & de motu, in reliquis operibus de quibuſdam corporibus, & quibuſdã motibus. atq; ita docet Philoponus in initio operis. Quòd ſi Simplicius primis verbis ſuorũ cõmẽtariorũ dicit, procœmiũ mox operis intentionẽ aperit, qđ de principiis naturalib⁹ eſt, li. pri. intelligit, quẽ tũc enarrare incipiebat, nõ toti⁹ operis. Itaq; meo iudicio argumẽtũ eſt idem, methodus diuerſa. *Philop. et ſimplici⁹.* Sed qđ eſt illud, ſupereſt diſputemus. *Secunda quæſtio.* Quidam dicũt ens, quidam ſubſtantiam, quidam corpus, atque horum quiduis, quidã dicunt naturale, quidam mobile: alii dicũt (quorum ſententia aliquanto plus videtur ab aliis receſsiſſe)

ceſsiſſe)ſubſtantiam ſenſibilem. Priores altercātur de lana caprina, vtrum ſit potius ens mobile, an ſubſtantia mobilis, an corpus mobile, & vtrum ſit potius dicere mobile, an naturale: & horum quiuis vocant Ariſto. in ſuam ſententiam, qui nunc dicit phyſicę ſpeculationem eſſe circa entia mobilia, nunc circa ſubſtantiam, in qua principium eſt motus & ſtatus, hoc eſt, circa ſubſtantiam naturalem, nunc circa quæcunque non ſine materia, nunc dicit circa corpora, & magnitudines, & motus, hoc eſt, circa corpora mobilia. Verùm enimvero ſi non aliūde, hinc tamen deberent intelligere inanem eſſe eam contentionē, atque de nihilo, quòd Ariſt. exactiſsimus autor indiſtinctè hoc & illud dicit, quaſi nihil interſit. Nam ſi quippiam intereſſet, quęcunque ſententia vinceret, Ariſ. erraret: quod concedere illis iam olim nefas eſt: ſed ſi nihil intereſt omnino, ex quibus principiis poſſunt altercari? Certè ex nullis veris, ſed ipſi ſibi ſine autore leges quaſdā fingūt, hiſque quas confinxit, quiuis altercatur. Dicit alius, neceſſe eſſe ſubiectum totius ſciētiæ dici de omnibus, quorum eſt illa ſcientia: non poteſt ergo eſſe corpus mobile, aut naturale ſubiectū totius philoſophiæ, quæ de materia & forma, & de multis aliis diſputat, quæ corpora non ſunt: quare ſit ens mobile, aut naturale, quia præter ens nihil eſt. O abſurdam rationem. Fit enim vt materia & forma ſint entia mobilia, ac quod eſt magis abſurdum, priuationem, & vacuum, & infinitum eſſe entia mobilia nam de his omnibus pertinere ad phyſicum diſputare multis probat Ariſto. propriis locis, quî poſsint principia eſſe entia naturalia? Sint enim alia illorum principia. Alii dicunt, cum ſubiectum ſcientiæ dicitur duobus nominibus, alio vt ſubiecto, alio vt attributo, debere attributum illud eſſe(vt illi dicūt)cōuertibile cum ſubiecto. Quare videtur ens mobile, aut naturale, nullius ſcientiæ eſſe ſubiectū, ſiquidem non omne ens eſt mobile, aut naturale, ſed corpus mobile: quia nihil mobile nō eſt corpus, & nullū corpus categoriæ ſubſtantiæ (mitto enim corpus mathematicum) non eſt mobile & naturale, ſed, vt dixi, hi ipſi fingunt ſibi falſas leges: vtraq; enim lex ſubiecti eſt falſa: Nam in medicina quàm multa veniunt in diſputationem præter humanum corpus ſanabile, & in

11. met. c. 6. & 6. met. ca. 1. & 3. de phy. c. 4. & 1. de cęlo. ca. 1.

Sotus.

Caieta.

Theologia præter Deum, niſi pharmaca ſunt humana corpora, & ſacramēta deus: non ergo eſt ſubiectū(dicūt illi) totalitatis hoc eſt, totius ſcientiæ. Nego, nam de ſubiecto ſolùm per ſe agitur in ſcientia, de reliquis omnibus illius gratia, velut in Medicina de pharmacis ob humanū corpus morbis & ſanitati obnoxium, in Theologia de ſacramentis ob ipſam Dei naturā, in phyſica de loco, vacuo, & tempore, vt quæ naturale ens aut corpus circunſtant, de materia, forma, & priuatiōe vt illius principiis. Itaque totius phyſicę eſt ſubiectū, ad quod tota refertur. Iam verò æquè abſurdū eſt putare attributum & ſubiectū, cum ſubiectum dicitur duobus nominibus de ſe mutuò debere dici: nā fieret, vt animal rationale non eſſet ſubiectū ſcientię de homine, quia nō omne animal eſt rationale. Itaque definito & definitioni nō ineſſent eadem eodem modo: igitur hæc omnia, quæ accipiunt, ſunt falſa & cōficta. Quæ eſt ergo vera ratio ſubiecti? Certè nō alia, quàm vt ſit illud, de quo præcipuè ac maximè in ea agatur, & in quod referātur omnia quæ eius ſcientiæ ſint: id verò vt ſit, quod vocant vulgò adæquatum, oportet vt de nulla rę dicatur, præter eam de qua ſcientia ea ſit, & vt ſcientia de nulla alia re ſit, præter eam de qua dicatur ſubiecti nomē. Quòd ſi ſubiectum duobus nominibus dicitur, nihil deſideratur præter ea aliud, quàm vt attributum per ſe inſit ſubiecto, & vt attributū explicet eam rationem, qua ſubiectū ſcientiæ eſt ſubiectum: quare ens mobile ſubiectum phyſicę eſt, quia nullum eſt ens mobile, quod non pertineat ad phyſicam, neque phyſica diſputat de re quapiā, quæ non ſit, aut referatur ad ens mobile, atque ipſum mobile eſt ratio, qua ens venit in phyſicam contemplationem: non enim venit qua ens, nec alia ratione, quàm qua mobile, aut naturale. Hoc vero, mobile ſcilicet, aut naturale, idem eſt omnino, quia vtriuſque eſt eadem ratio: vtrunque enim eſt, quod in ſeipſo habet principium mouēdi, (id enim principium eſt natura) quare ratio qua eſt phyſicę, eſt quia naturale, aut mobile. Dicere autē ſubſtantiam mobilem, aut corpus mobile, nihil intereſt, quia omne ens mobile eſt ſubſtantiæ mobilis, & omnis ſubſtantia mobilis corpus mobile: nihil enim mobile præter corpus, mobile verò eſſe accidit per ſe corpori

ſubſtan-

ſubſtantiæ,& enti,& ſi non æquè primò.
Sed neq; hoc refert ad rationem ſubiecti,
vt inſit vt proximo generi,aut nō. Quòd
ſi & diceres, ſubiectum philoſophię eſſe
coloratū mobile,aut corpus coloratū,etiā
ſi his quoq; nominibus cōtinerētur omnia
entia naturalia,ſi omne ens naturale eſt co
lore affectum, & omne corpus coloratum
eſt mobile, quia omne corpus eſt mobile,
tamen errares, quia mobile nō accidit co
lorato per ſe,ſed ex accidenti, quia vtrūq;
ineſt alteri,putà corpori:& coloratum etſi
per ſe ineſt corpori,tn̄ non eſt ea ratio qua
corpus eſt ſubiectum ſcientiæ. Dū habeat
ſubiectum ſcientiæ ea quæ dicimus,poteſt
attributum patere latius quàm ſubiectū,
velut corpus humanum ſanabile eſt ſubie
ctum Medicinæ,tamen ſanabile latius pa-
tet quàm humanum corpus:nam & bruta
ſunt ſanabilia. Et poteſt ſubiectum patere
latius quàm attributum,velut animal ra-
tionale eſt ſubiectum anthropologiæ, & ſi
animal latius patet quā rationale:&poteſt
patere æquè latè,vt corpus mobile.omne
enim corpus mobile, & omne mobile cor
pus.Cū ſubiectum patet latius, attributū
duo præſtat,contrahit enim ſubiectum ne
excedat totam eam ſcientiam, & explicat
rationem qua ſubiectum eius ſciētiæ eſt:
cùm attributum patet latius,aut æquè,nō
poteſt contrahere(non enim cōtrahitur à
mobili corpus)tn̄ tunc quoq; additur vtili
ter,vt rationē explicet.Itaq; cōſtat rationē
qua ad philoſophiam pertinet quippiā,eſſe
mobile,aut naturale:mobile aūt aut natu
rale accidere enti,& ſubſtantiæ,& corpo-
ri per ſe.Quare conſtat nihil intereſſe dice
re,ſubiectum eſſe ens,aut ſubſtātiam, aut
corpus mobile, neq; ſi ens dicentes intelli
gamus quod propriè ens,hoc eſt,ſubſtan-
tiam,ſiue ſimpliciter ens:nam etſi ens ana
logicè dicatur,tamen rationem quandam
aut conceptionem habet communem,cui
categoriarum rationes per ſe accidūt.Fal-
litur verò apertè,qui putat Ariſt.vbi dicit
ſubiectum phyſicæ eſſe ens naturale,intel
ligere quod eſt propriè: nā ille diuidit ens
in mobile &immobile,& immobile inquā
tum & non quantū:immobile & non quā
tum,ad primam philoſophiam,quantum
ad mathematicam,ens mobile ad phyſicā
dicēs pertinere.Cōtrahitur verò illud ens
differentia motus,vt diuiditur,quod verò
diuiditur,nō eſt ſubſtantia, alioqui nō poſ
ſet eſſe mathematicum.Itaque ens mobile
vtcunq; dicatur ens,eſt ſubiectum philoſo
phiæ,idemque ſubſtantia mobilis, & cor-
pus mobile.Vnicum argumentū mihi eſſe
videtur alicuius momenti, quo nonnulli *Obiect.*
ens mobile potius quā corpus mobile eſſe
phyſicæ ſubiectū ſtatuūt,id verò eſt,ſubie
ctū non debere demonſtrari,ſed alia de il-
lo,in phyſica verò demonſtrari ab Ariſto.
multis argumentis omne mobile eſſe cor-
pus, nō deberet aūt monſtrari corpus de
mobili,ſed paſsiōes omnes de corpore mo
bili:quare(dicūt) ſubiectū ſit ens mobile,
corpus verò vnum quidā eorū quæ de eo
ſubiecto demōſtrantur. Sed hoc ita dilui- *Dilutio.*
tur.Nō monſtratur omne mobile eſſe cor
pus,quaſi eſſe corpus de mobili monſtre-
tur vt paſsio quædam,ſed mōſtratur nihil
præter corpus moueri, vt conſtet corpus
cōtinere omnia de quib[9] philoſophia eſt.
Accedit,ꝙ vt à me mōſtratum eſt li.6.de
phyſica doctrina.c.10.in cōmentariis,non
poteſt mōſtrari omne mobile eſſe corpus
per aliud mediū,neq; aliter,quā ex ipſa cor
poris natura, & quia corpus ſolū habere
poteſt locum,magnitudinē,& eas paſsio-
nes ſecundū quas motus eſſe dicitur:ea ve
rò non tā eſt alterius de altero mōſtratio,
quā expoſitio ſingularū partium, qua vti-
mur etiā in definitionibus. Accedit, quod
etſi ſubiectum ſcientiæ per ſe ſe notius eſ
ſe debeat,quàm paſsiones quæ de illo mō-
ſtrantur,tamen illud ipſum minus diſtin
ctè agnoſcitur in initio doctrinæ, quàm in
fine:quare ſępe interponitur explicatio ter
minorum,quibus dicitur. Itaque neque
hoc argumento fit, vt potius ens, quàm
ſubſtantia,aūt corpus dicatur ſubiectum
philoſophiæ. Corpus verò intellige,quod
in categoria ſubſtantiæ eſt, nam quod in
quanto non eſt mobile:corpus verò vt di-
citur de vtroque non eſt genus vnum,
cum pertineat ad duas categorias. Auer
rous dicens eſſe ſubſtātias ſenſibiles, min[9] *Auerro.*
exactè loquitur,quia etſi omne naturale
corpus eſt ſenſibile,nō ea ratione qua ſen-
ſibile,eſt naturale,niſi ex accidēti : tn̄ non
magnopere errat:non enim vtitur attribu
to admodū alieno,quia nō longè abeſt ra-
tio ſenſibilis à ratione mobilis, ſed prope
eſt,nam ſenſibile eſt quoddam mouere po
tēs ſenſum, omne aūt mouēs ſenſum cor
poreū,omne autem mouens corporeū eſt
mobile:omne ergo ſenſibile mobile. Atq;

adeò Ari. etiam nõnũquam explicat subiectũ aliis attributis, quàm mobile, sed quæ prope accedunt, velut dixit substantias cũ materia: nimirum, omnis substãtia cũ materia est mobilis. Sed antiqui, vt in principio diximus, non tam curabant vsum nominum, quàm vt res explicarent, nunquã quidem dicentes aliena, etsi id qd' est per se, non semper exactissimè explicaretur: nam in his quę sunt ex accidenti, quædam magis, quædam minus sunt aliena. Aliena quidem, vt si dicas corpus coloratum, aut coloratũ mobile: minùs aũt, si substantiã sensibilem. Sed de argutiis neotericorum satis superq; diximus.

2 De ordine, seu constitutione philosophię naturalis apud Arist.

De ordine, quo doceri potest scientia quæuis generatim, & de eo quem Aristo. tenuit in philosophia, satis à me dictum est in cõmentariis primi capitis primi libri, vbi dixi lõgè aliud esse (quanquã id vulgus Arist. minime intelligit) agere de ordine, quo alicuius assertionis euidens assensio, seu scientia comparatur, aliud de ordine quem tenere oportet in constituenda aliqua doctrina, seu scientia. Ille enim ordo duplex est, quia duplex est ratio mõstrationis, à priori, vt dicunt, & à posteriori. Constituendi doctrinas, quæ inhærent ordini, est triplex methodus, qui cõpositione fit, & qui resolutione, & qui definitione. Horũ rationes explicui, & exemplis exposui in cõmentariis, illinc pete. Dixit verò Galen. tres esse doctrinas quæ ordini inherẽt, quia est quędã alia methodus, seu ratio docẽdi absoluta ab omni ordine, quę vocatur aphoristica, cũ scilicet articuli quidam insignes breuibus quibusdam rationibus sparsim traduntur: hæc est ratio aphorismorum Hippocr. & autorũ omniũ qui scribunt apophthegmata, aut prouerbia. Horũ ordinũ hę virtutes sunt insignes: diffinitiuus & aphoristicus sunt accomodatissimi ad memoriã discẽtiũ, compositiuus ad artiũ cõstitutiones, resolutorius ad inuentionẽ: quicunq; autẽ ordo tenẽdus sit, profectò à notioribus nobis procedẽdũ esse, & qua ratione id fieri possit, illic explicuimus: atq; nõ minus explicuimus Arist. in philosophia ordinẽ resolutionis tenuisse. Quod ita probatur rursum. Nõ tenuit definitiuũ (non enim per diffinitionẽ philosophiæ, aut naturalis corporis procedit) neq; cõpositiuũ: nã si ita esset, tota sciẽtia naturalis referretur in naturã eorum corporũ, de quib⁹ in vltima eius parte agitur: priora enim vt partes quæ hæc cõponerẽt enarrata essent. Itaq; referretur tota philosophia in naturã animatorũ corporũ, de cœlo verò, & quatuor corporibus ageretur, vt de quibusdã eorũ partibus. Sed nõ ita est: hec enim scientia nõ est de natura quorundã, sed de natura: non ergo tenuit Arist. ordinẽ compositionis, sed ordinẽ diuisionis, qui solus superest. Non enim est aphoristicus, cũ teneat vnum perpetuũ ductum, atq; adeò aphoristicus ordo ad artes practicas vtilis esse videtur, ad contẽplatorias aũt sciẽtias minime. Esse verò hãc sciẽtiã contẽplatoriã docet Arist. dissertissimè (neq; dubiũ). i. cap. metaphysicorũ his verbis: Cum aũt phisica etiã circa quoddã entis genus sciẽtia sit (etenim circa talẽ substãtiã est, in qua principiũ est motus & quietis quæ in ea est) patet nec actiuã, nec factiuã esse. Factiuarũ etenim in faciente principiũ est, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia: actiuarũ verò in agente electio. idem enim agibile & eligibile. Quare, si omnis intellectus aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiu⁹ est, physica speculatiua quędã profectò est. Hæc Aristo. quod quidem apertum est, quia physica ad nullã actionẽ aut opus refertur per se, & primò. Hæc addo, vt insinuem dilutionem quarundã argumentationũ molestissimarũ eorum, qui nesciũt sine argumẽtis olus emere: qui etiã disputant, an bona sit philosophia, an mala. Quæstio sanè indigna, nisi de sua intelligunt. Sed ex his quæ diximus de philosophiæ ordine, nascitur denuo argumẽtũ, nõ esse huius operis de physica doctrina aliud argumẽtũ quã totius philosophiæ, vt superiori capite docuimus. Si enim totum hoc opus esset de principiis rei naturalis, reliqua verò de re naturali, ordo esset cõpositionis, tñ nõ ita est, sed in hoc opere agitur de principiis, & de corpore mobili, & motu generatim, in aliis de quibusdã naturalibus corporibus, & quorũdã principiis, & quibusdã motibus. Sed de ordine hæc sint dicta, quoniã Ari. quę sunt nobis et naturã nota aut obscura attigit, de his dicamus nõ nihil, etsi ea quæstio minime sit physica.

Physica sciẽti contemplatoria.

Quæ

3 Quæ sint nobis nota & naturâ, & an aliquando eadẽ, an semper contraria.

ARist. multis in locis docet rerũ quasdam esse notiores nobis, quasdam naturâ: quæ verò Græci vocãt γνωριμώτερα τῃ φύσει barbari omnes vocãt, notiora, q̃ si naturæ ipsi cognitæ, aut incognitæ sint res, vt nobis, id putãtes Arist. dixisse. Deinde, quidam ita interpretãtur dictum esse velut ex hypothesi, notiora scilicet naturæ esse, quæ si natura ipsa vim agnoscendi haberet, agnosceret antè alia. quidam dicunt naturæ nomine Deum intelligi. Cõstat verò iis etiam, qui hoc dicũt esse opus alia hypothesi, nã Deo re vera nulla sunt aliis notiora, aut minus nota: intelligent ergo ea esse notiora naturæ, quæ De⁹ agnosceret antè alia, nisi simul æqueque agnosceret omnia. Sed hæc cum per se se sint ridicula, multò magis ei qui Græcam phrasim intelliget, illud enim τῃ φύσει non est aliud quàm naturâ, siue secundum naturam. Id verò licebat intelligere etiam sine idiomate Græco ex aliis locis, quibus hæc ipsa vocat notiora omnino, aut notiora simpliciter, quasi ea sint notiora naturâ, quæ per se se, simpliciter, & omnino illustriora sunt. Quidam illorum hoc bene interpretantur, & alios notant, tamẽ nescio quomodo ipsi quoque inter disputandum in barbarum nominis vsum relabuntur, simulque rem totam obscurãt, & quod magis absurdum est, omnia conturbant partitionibus inutilibus: quare eorum partitiones nõ amplius distinctiones vocari velim. nihil enim minus quàm distingunt. Nos verò, si fieri potest, eloquamur apertè rẽ alioqui obscurissimã. Nihil certè aliud est dictu, alia esse notiora nobis q̃ naturâ q̃. res non vt facilius sunt per se se cognoscibiles, ita à nobis facilius cognosci, sed ob sensus (à quo nostra cognitio semper incipit) conditionem contra accidere, vt ea quæ per se sunt maximè perspicua, minus & tardius à nobis agnoscantur, velut sol illustrior est omni alia re, tamen ob aciei visus imbecillitatem minus videre potest. Verùm occurrit statim obiectio. Videtur hoc falsum esse, quia vt cognoscibiles sint, non inest rebus per se, sed ad potẽtiam cognoscẽtem dicitur: ea enim res, quam nulla potentia posset capere, incognoscibilis esset, nã aliter esset cognoscibilis, & à nullo cognoscibilis: ergo quod à nobis minus cognosci potest, minus cognoscibile esset simpliciter, si non esset potẽtia aliqua à qua facilius & melius, ea quæ sunt nobis minus nota, agnoscerentur. Profectò simpliciter essent, omninoque minus cognoscibilia, tamen sunt quæ intelligunt sine materia, à quibus ea melius & facilius intelligũtur, quæ per se sunt talia, atque à nobis ipsis si à sensus conditione absolueremur, ita intelligerentur. Quare, fieri potest vt quædam sint notiora omnino, quædã nobis, velut à quibusdam hominibus facilius videntur, quæ longè absunt, quanq̃ omnino faciliora sunt visu quę prope sunt. Sed age, dicamus quæ sint nobis, & quæ omnino notiora. Arist. lib. metaph. cap. 2. ita reliquit scriptũ: Ferè autẽ & difficilia cognitu hominibus sunt, quæ maximè vniuersalia, longissimè enim absunt à sensibus. Paulò post eodem cap. Maximè autem scibilia sunt, quę prima, & causę: ob hęc enim & ex his alia agnoscuntur, sed non hæc ob subiecta. In eandem sententiam primo posteriorum resolutionum ita scripsit: Dico autem priora & notiora, quæ propiùs ad sensum sunt, omnia autẽ priora & notiora (quæ lõgius) sunt autem remotissima vniuersalia præcipuè, coniunctissima autẽ singularia. Itaque ex his locis constat Aris. docere, notiora nobis esse, quæ proximè accedunt ad sensum, quia omnis nostra cognitio à sensu incipit: quare singularia facilius cognosci à nobis quàm vniuersalia. Totum præterea facilius cognoscitur à nobis quàm eius partes, & quàm principia, quia totus etiam homo citius occurrit sensui quàm partes suæ magnitudinis (prius enim video ego venientem tantum hominem, quàm discerno caput, manus, & pedes) & multò facilius quàm eius principia, materia inquam & forma: hæc enim insensibilia omnino sunt. Effecta etiam facilius à nobis agnoscuntur quàm eorum causæ: nullæ enim rerũ causæ sentiri possunt per se, sed per actiões aut opera, velut vis ignis calfactu sẽtitur. Neq; verò solùm facultas aliquid agendi nõ potest aliter agnosci, sed nec diffiniri quidẽ vt Gale. docet aliter q̃ per actiones. Itaque constat singularia quã vniuersalia, & totum quàm partes, & effecta quã causas notiora nobis esse, sed cur non

Vt sint quædã notiora omnino nobis min⁹ nota.

Obiectio

Dilutio.

Quæ sint notiora nobis & quæ omnino.

non sint ea omnino aut per se notiora, sed minus nota nōdum diximus. Dicunt quidam, quia nihil est cognoscibile nisi qua ens, oportere vt tanto sit aliquid magis cognoscibile, quāto magis, perfectiusq; habet rationem entis, proinde Deum magis quàm res alias omnes esse cognoscibilē, deinde intelligentias suo quanque ordine, quia sunt hæ substantiæ ęternæ: vniuersalia etiam, quia sunt incorruptibilia, & de quibus haberi potest scientia: singularia minus, quia tāto imperfectiùs sunt, vt quidam antiquorum timuerint etiam dicere ea esse, & solùm potest de eis haberi opinio per sensum. Itaque hi reiiciunt rationem facilioris cognitionis in perfectiorem rationem essendi, tamen falluntur apertè, nam perfectius est totum, quàm eius partes, & res quàm eius principia, quin etiam iuxta sententiam Aristot. (alia enim est ratio idearum Platonis) perfectius est singulare quàm vniuersale, quia vniuersalia aut nihil sunt, aut in singularibus sunt. Itaque vniuersalium est sola essentia, singulariū esse & essentia: quare totum esset notius simpliciter partibus, & principiis, & singularia vniuersalibus, & vt dicatur semel, omnia posteriora prioribus, quia in iis quæ ad generationem rei alicuius habent ordinem, priora sunt imperfectiora posterioribus, quia natura semper tendit ab imperfectis ad perfecta: omnia ergò euenirent contra ac Arist. dicit. Præterea, quo pacto dicunt Deum esse rerum omnium maximè cognoscibilem, cum secundum naturam (nisi quid ipse maius naturâ moliatur) à se ipso solùm cognoscibilis sit? Nam & Arist. dicit cap. 4. primi de physica doctrina infinitum qua est infinitum cognosci non posse, quî enim capi possit infinitum à finito? Etsi enim, vt respondent quidam, potentia accipiēdi, quam passiuam vocāt, nostri intellectus est infinita, est tamen infinita potentia, non actu, actu autem fit infinita, cùm Deus illam beans se ei infinitū finitæ (nam hoc quoq; est in infinita virtute Dei) insinuat. Itaque per se & secundum naturam incognoscibilis est Deus, nisi sibi ipsi, tam longè abest vt sit res notissima. Quid ergo illis respondebimus? videbantur enim adduci probabili ratione. Certè omnia sunt cognoscibilia qua entia, non tamen proinde quibus esse inest perfectius, insit & agnosci: nam perinde

Refutatio.

Respondetur.

est ac si dicas, omnia sunt numerabilia qua multa, aut qua numerus, ergo quò sunt plura, aut maior est eorum numerus, eò facilius numerabuntur. Constat tamen contra euenire, numerantur enim quę multa, tamen quò plura sunt, eò est maioris operæ ea numerare. Ita in rebus quidem agnoscitur id quod sunt, tamen quo ipsum esse perfectius est, eò difficilius cōprehēditur: ergo est res aliqua per se, & naturâ notior, quò magis cōprehēdi potest, potest verò tā to magis cōprehēdi, quāto per se est res simplicior: simplicioris enim rei simplicior fit notitia & facilior, cōpositioris cōpositior & difficilior, quæ & cōfusa ab Arist. appellatur. Proinde pars notior est toto, quia simplicior (componitur enim totū ex partibus) & vniuersale quàm singulare: simplicius enim est cum careat materia, quàm singulare quod habet. Et in vniuersalibus quanto quodque est vniuersalius, tanto notius naturâ: nam inferiora componuntur ex superioribus, vt homo ex animali, & animal ex corpore. Quare fallūtur qui putant singularia dici in hac quæstione aliquando minus vniuersalia, quique dicunt hominem esse quiddā notius naturâ quā animal, quia perfectius: nam prætérquam quod exclusimus iam hanc rationem, quæ à perfectione capitur, Aristo. dicit quanto quidque recedit à materia, tanto esse notius per se: constat verò magis recedere animal à materia, quàm hominem. Porrò causa notior est naturâ, quàm quod ab ea fit, (causam Aristo. reddidit) quia scilicet effectus non potest sine causa bene agnosci, (tunc enim putamus nos agnoscere aliquid, cùm causas agnoscimus) causa verò potest sine eo quod facit, quia prior est cognitione: ita, etsi non semper effectus ex causa compositus sit (non enim omnis causa est immanens) tamen notitia eius quod fit, quodammodo continet notitiam causæ. Ergo (dicunt) intelligentias notiores esse, quàm corporeas substātias (quanquā fortasse singulares quædā substantiæ sunt) quia sunt perfectiores: quare quæ perfectiora, esse naturâ notiora. Ego verò non concesserim eas notiores esse per se, quia perfectiores, sed quia simpliciores, & quia fortasse habent ad res inferiores rationem causæ: Deum quoque concesserim futurū rerum omnium notissimam, cum sit simplicissima, & omnium prima causa, nisi

infinitas

infinitas (ita dicatur) faceret, vt non poſsit *Epilogus* comprehendi. Itaque collegimus notiora ſimpliciter eſſe vniuerſalia ſingularibꝰ, immaterialia his quæ in materia ſunt, cauſas effectis, & principia rebus, atque eadē ipſa quæ ſimpliciter notiora, eſſe nobis minus *Obiectiones.* nota. Sed contra eſt quod Ariſt. in procœmio librorum de phy. doctr. ita ſcripſit: Eſt autem naturalis via à notioribus nobis & illuſtrioribus ad illuſtriora naturâ & apertiora: nō enim eadem nobis nota & omnino. Quare neceſſe eſt hoc modo progredi ab iis quæ obſcuriora naturâ ſunt, nobis verò clariora, ad clariora naturâ, & notiora. Sunt autem nobis primùm manifeſta & nota, ea quæ confuſa ſunt, poſtea principia, & elementa diuidentibus hæc nota ex his fiūt. Quocirca ab vniuerſalibus ad ſingularia procedendum eſt, nam totum ſenſu notius, id autem quod eſt vniuerſale totum quiddam eſt: multa enim continet vt partes. Hæc Ariſto. Quibus apertè dicit vniuerſalia eſſe notiora nobis quàm ſingularia, quod quidem dictis ab eodem autore aliis locis repugnat, tum etiam iis quæ à nobis confirmata ſunt. Neq; id quidem ſine argumento dicit Ariſto. ſed quia totum notius eſt nobis, quàm partes: vniuerſale autem eſt vt quoddam totum, & continet ea quæ ſub illo ſunt vt partes, velut animal continet hominem & equum, homo Socratem & Calliam. In noſtris cōmentariis diffuſè ſatis diximus quo pacto locus ille Ariſt. intelligatur, vbi poſt refutatas aliorum enarrationes, quæ nobis minus placuerunt, diximus Ariſt. illic non loqui de cognitionibus vniuerſalium & ſingularium per ſe, ſed in orationibus. Non enim doctrinæ (erat verò illic ſermo de doctrinarum conſtitutione) procedunt per notitias ſimplices, ſed per aſſertiones, in aſſertionibus verò poni poteſt terminus quiuis in ſubiecto, aut in attributo: vniuerſale ergo per ſe, aut poſitum in ſubiecto aſſertionis tanto notius eſt naturâ quanto vniuerſalius, tamen poſitum loco attributi tāto nobis notiꝰ eſt, quāto magis vniuerſale: quia cum in aſſertionibus ſubiectum habeat rationem materiæ, ſi ſubiectum eſt idem, aut æquè ſingulare, etſi attributum ſit magis vniuerſale, non proinde receditur magis à materia. quare non proinde fit alienius à noſtra cognitiōe, ſed facilius cognitu, vt ratio vniuerſalis in ſingulari, ſeu ſingulare vagum, quod facilius cognoſcitur, quàm ſingulare certum. Itaque in ſimplicibus notitiis vniuerſalium ſeparatorū à materia quanto quidque eſt magis vniuerſale, tanto etiā eſt notius naturâ, obſcurius nobis. Sed videtur adhuc ſupereſſe Ariſt. argumentum, Vniuerſale eſt vt totum quod continet inferiora, ergo non ſolùm in aſſertionibus, ſed per ſe etiam quāto quidque eſt magis vniuerſale, tanto notius. Verùm ita reſpondetur. Totum multis modis dicitur, & quod ad rem nunc facit bifariam: nam eſt totum, quia conſtat ex partibus, vt homo ex anima & corpore, & ex animali & rationali, & ex capite, thorace, ventre, & artubus: & eſt totum quia continet, vt animal quia continet hominem & belluas. Totum quod conſtat notius eſt nobis, & omnino obſcuriꝰ, quia magis compoſitum, quare & notitiæ magis confuſę: totum quia continet, eſt ſimpliciter notius, cum enim non conſtet ex partibus (non enim animal conſtat ex homine, & boue) non eſt magis compoſitum, ſed ſimplicius, priuſque illo: prius enim eſt in omni genere quod cōtinet, quàm quod continetur. Sed adhuc ſupereſt illo loco obiectio. Ariſtot. dicit incipiendum eſſe à notioribus nobis, & naturâ minus notis, incipiendum verò ſibi à principiis & cauſis: principia ergo & cauſæ notiora ſunt nobis, quàm res & effecta, quare videtur nobis Ariſtotel. repugnare, & ſibi ipſi. Verùm Ariſtotel. non dicit incipiendum eſſe à notioribus nobis, quia à principiis, ſed quia à principiis maximè vniuerſalibꝰ. Ex dictis quiſq; intelligit vt nō ſit opus barbara illa diſtinctione, qua hoc loco vulgares Ariſtotelici vtūtur, de cognitione cōfuſa, & cognitiōe diſtincta, cū enim non ſe poſſēt expedire ab argumētis, quibꝰ videtur fieri nunc vniuerſalia eſſe nobis notiora, nunc minus, & totum, & partes, & cauſas & effecta, confugiunt ad hanc diuiſionem concedentes eadem eſſe notiora nobis & naturâ, alterum diſtinctè, alterum confuſè. Sed mihi videtur omnia eſſe prius cognoſcibilia confuſè, quàm diſtinctè, idque nobis & naturâ, nam notitia omnis ſiue ad nos, ſiue ſimpliciter in ipſius obiecti natura conſideretur, nata eſt procedere ab imperfectiori ad perfectiorem: quare à cōfuſa ad diſtinctam. Diximus quæ ſint no- *Alia q̄*- bis notiora, & naturâ, ſed an ſemper hæc *ſtio.* ſint

ſint contraria, an aliquando eadem, ſuper eſt dicamus. Videtur nunquam poſſe in eã dem rem incidere, vt ſit notior nobis & natura: nam Ariſt. dicit, Non eadem ſunt nobis nota, & omnino. Sed ex dictis fieri videtur: nam vniuerſalia ſunt notiora omnino, & cauſæ, & partes, & principia, nobis verò nota ſunt ſingularia, & quæ à cauſis fiunt, & quæ conſtant partibus, & principiis. At verò nõ poteſt eadem res eiuſdem eſſe cauſa & effectus, neq; totum & pars, neque ſingulare & vniuerſale: non ergo videtur poſſe eadem res eſſe nota nobis, & omnino. Sed argumentatur, finem notiorem eſſe naturâ iis quę propter finem, quia finis eſt præcipuum cauſæ genus, ſi ergo cauſa notior eſt naturâ quàm totum, conſtat & finem eſſe notiorem, ſed totũ phyſicum eſt naturalis finis principiorum, & generationis (hominis enim gratia præparat natura materiam, & infert formam) ergo totus homo notior naturâ eſt quàm principia: eſt autem etiam nobis notius totum quàm partes· idem ergo eſt notius nobis & naturâ. Hîc reſpondent cõfuſè, confuſa notitia totum eſſe nobis, & naturâ notius, quàm partes, tamen cognitione diſtincta principia eſſe notiora quàm totum, natura & nobis. Sed hi non ſubſcribunt Ariſtotel. qui dicit, non eadem eſſe nobis nota & omnino, vſus exemplo partium & totius, & principiorum & rei: ſiquidem, vt illi dicunt, eodem modo eſt notius nobis & naturâ totum & partes, confuſè ſcilicet, & eodem modo pars quàm totum, ſcilicet diſtinctè. Quare ſi Ariſt. dixiſſet non ſunt eadem nota confuſè, & diſtinctè, fortaſſe rectè reſpondiſſent, ſed cum dixerit, non ſunt eadem nobis & omnino, reſpondent præter rem. Præterea dicunt falſa, nam principia & partes natura ipſa, hoc eſt, quantum agitur in ipſo obiecto, & excluſa cõditione ſenſus, prius nota ſunt, & confuſè, & diſtinctè quàm totum, quia cum ſit res ſimplicior, facilius agnoſcetur, & notitia ſimpliciori: ſi verò diſtinctè eſt notior, confuſè profectò ſit multò facilior cognitu (eſt enim hoc argumentum à maiori) non nobis, ſed per ſe, & omnino. Sed argumentantur rurſum, totum eſt finis, & quidquid operatur gratia finis, prius agnoſcit finem, quàm ea quæ ſunt ob finem, ergo natura prius agnoſcit totum quàm partes, aut ſi operaretur cũ cognitione, prius agnoſceret. Sed hi non vident vt relabantur in abſurdum illum ſenſum, quem initio refutauimus, notiora natura dici quaſi notiora naturæ. Nos ergo ita reſpondemus. Totum & partes intelligi poſſe in ratione rerum, & qua res quædam ſunt, aut in ratione finis qua hoc ob illud fit (barbari dicerent prime intentionaliter, & ſecunde) in ratione rerum prius & facilius agnoſcũtur partes natura, quia ſunt ſimplicioris cognitionis, nobis verò difficilius, quia minus occurrunt ſenſui: ſi verò intelligantur in ratione finis, & eorum quæ propter finẽ, contra accidit: cognitio enim naturalis incipit à fine, nobis verò contra, quia prius cognoſcimus quę fiunt, quàm cuius cauſa fiunt, velut facilius agnoſcimus veſicam fellis pendere ex hepate quàm expurgare ſanguinem, quanquam natura facilius agnoſcitur hoc & pri⁹ qua finis eſt, ſed eadem ratione nobis tardius. Verum eſt quoſdam fines agnoſci etiam à nobis prius, quia ſenſibiles ſunt, velut facilius agnoſcimus nos ridere, quàm muſculos, quibus riſus agitur, & nos videre quàm oculi diſſectionem, aut viſorios ſpiritus. Sed hæc quoque agnoſcũtur à nobis non qua finis, ſed qua effectũ: eſt enim idẽ eiuſdem vno genere cauſa, alio genere effectus, quare vna ratione poteſt eſſe nobis notius, alia ratione natura. Hinc fit, vt cũ finis eſt actio quædam ſenſibilis, noſtra cognitio inde incipiat, velut prius agnoſcimus nos ambulare, deinde inueſtigamus quibus muſculis, tamen vtimur tunc ambulatione non vt fine, ſed vt effectu: cum finis non eſt nobis ſenſibilis, ab ipſo inſtrumento incipit noſtra cognitio, non vt à cauſa, ſed vt à medio, aut ab eo quod finis gratia fit, tenditque in cognitionem eius qua finis, velut videntes veſicam appenſam ex hepate iuxta venam cauam coniectamus eam veſicam expurgare hepar, & videntes quaſdam membranas adnaſci cordi iuxta arterias, coniectamur eas facere, ne cor cùm dilatatur, trahas, aut cum conſtringitur, pellat, quà non expedit. Itaque poteſt incidere in eandem rem vt ſit notior nobis, & natura, ſed non eadem ratione, ſed alterum qua res quædam, alterum qua finis, aut quæ finis gratia: aut alterum vt cauſa, alterum vt effectus

Alienarũ reſpõſionũ refutatio.

Reſpõdetur.

ctus. poteſt enim idem diuerſis cauſæ generibus cauſa eſſe, & quod à cauſa fit. Atq; hactenus generatim dici potuerit, non eadem eſſe nobis nota & omnino, etſi quiddam videatur eſſe poſſe vtrunque, non eadem ratione, vt indicatum eſt. Tamen videntur adhuc eſſe quædam facilius nobis & omnino ſcibilia, idque eadem ratione: nam vniuerſalia, quæ ponuntur loco attributorum, ſubiecto ſingulari, aut ſaltē eodem poſito reddunt aſſertiones nobis intellectu faciliores, vt diximus, ſed & naturâ ſunt eędem clariores: nō enim nobis ſolùm videtur facilius perſuaderi poſſe hæc aſſertio, homo eſt ens, quàm hęc, homo eſt animal, ſed etiam per ſe ſe videtur magis manifeſta, quia ſi eſt animal, eſt ens, nō tamen contra: ergo prior eſt naturâ aſſenſio huius, eſt ens, quàm huius, eſt animal, atq; adeò ego ita ſtatuo, aſſertiones quaſcunq;, quarum ſubiecta æquè accedant ad ſingularia, tanto eſſe notiores per ſe, & nobis, quanto attributa ſint magis vniuerſalia: naturâ quidē, quia ipſa vniuerſalia ſunt per ſe notiora, ſubiecta verò ponuntur eſſe æquè nota: nobis autem, quia vniuerſalia nō alia ratione ſunt nobis incognita, quàm ꝙ recedūt magis à materia, cùm autem ſubiecta æquè accedant ad ſingularia, non magis recedent aſſertiones: in eis enim ſubiectum, eſt vt materia. Itaque, hæc eadē ſunt nobis notiora, & omnino, neque Ariſt. dixit, nō ſunt eadem nobis nota & omnino, quaſi nulla ſint, ſed quia non ſunt ſemper eadem, ſed plerūque contraria, & contrariis rationibus, etſi aliqua poſsint eſſe eadem. Nam & in rebus quæ ſunt ſingulares contingit rem aliquā alterius eſſe cauſam, & eam, quæ cauſa eſt, natam eſſe magis cadere ſub ſenſum: quæ quidem notior erit nobis, quia ſenſibilis magis, naturâ autem & per ſe, quia cauſa, velut lux quàm lumē, aut fulgor, & color, quàm ea coloris ſpecies quam per medium fundit, & ſi quæ alia ſunt huiuſmodi, quæ ſingularia nihilominus ſint, ſentiri autem poſsint minus. Species enim colorum non eſſe ſeparatas à materia, ſed ipſoſmet colores per diaphanum productos, viſibiles quidem naturâ, ob naturam autem recipiētis minus aptos videri, lib. 2. controuerſiarum medicarum diximus, rurſumque alio loco dicemus, de his hactenus.

An totum ſint ſuę partes.

4

HÆc quęſtio nihil minus eſt quàm phyſica, vt & illa, an motus differat à re quæ mouetur, & an ab ſpecie aut forma ad quam eſt motus, & an quantitas differat à re quanta, & vt ſemel dicam, quæcunque huiuſmodi eſt de rerum eſſentiæ diſtinctione, aut vnitate. Pertinent enim hæ omnes ad metaphyſica: ſiquidē ipſas ſubſtantias, ſeu eſſentias, & rationes rerū diſtinguere primæ philoſophiæ eſt, quæ ipſum ens & entis genera ſpeculatur. Verū placuit vulgaribus enarratoribus Ariſtot. hanc quoque quæſtionem intēpeſtiuè hoc loco decidi, quia ille cap. 2. primi de phyſica doctrina, diſputans contra Parmenidē & Meliſſum, qui omnia vnū eſſe affirmabant, dixit inter cętera illud quoque eſſe dubium, an totum & partes ſint vnum, an multa: multò tamen ſatius fuſſet hanc nūc omitti, quia ipſe met Ariſt. dicit eam dubitationem non eſſe præſentis ſermonis, ita enim ſcripſit: Eſt autē dubitatio de parte & toto, fortaſſe autem non eſt pręſentis ſermonis, ſed ipſa per ſe ipſam, num vnū an plura ſint partes & totum, & quomodo vnum aut plura, atque adeò plura quo modo plura. Hæc Ariſtot. quo etiam inuito hanc quæſtionem huius ſermonis eſſe faciunt. In primis non eſt dubium totum differre à ſingulis partibus, ſed num etiam ab omnibus differat quæſtio eſt: quæ vt diſtinctiꝰ procedat, ſciri oportet totum dici ad partes, & partes ad totum. Totum verò dicitur duobus modis. 26. cap. 5. metaphy. aut quod ex multis conflatum eſt, vt continuum ex multis partibus, aut quod continet multa vt vnumquodque illorum vnum eſt, velut genus eſt totum quoddā, cuius partes ſpecies: atqui cum totū duobus his modis dicatur, non eſt nunc quæſtio de toto quod continet, ſed de toto, quod ex partibus conſtat. Eius verò quod ita dicitur totum, partes multiplices ſunt, vt multis modis coniunctę totum conflāt, atque vt ipſe modus maioris aut minoris vnionis eſt, ita totum fit magis aut minus vnum, velut ex multis granis cumulus fit ſola appoſitione & tactu, non tamen eſt hæc tanta vnitas quam cùm ex candore & homine fit vnum candidum: non enim hæc ſola appoſitione, ſed inhæſione vnum

fiunt

fiunt, quia alterum inest alteri. Sed neque hæc est tanta vnitas, quam cum continuitate partium magnitudinis vnum fit. Atq; in ipsa continuitate quædam est minor, vt agglutinatio, aut infixio: quędam vera cōtinuitas, vt partium ligni. quare magis vnū est lignū quod sine glutine aut clauo, quā quod his continuatum est. Hac quoq; maior vnitas est, quæ ex forma & materia, quia perfectior vnitio est hæc, quàm quæ inhæsione & continuitate partium magnitudinis. Partium rationis, seu definitionis, velut animalis & rationalis, est maxima vnitio, quia in toto dicitur vtrunque de altero, & vtrunque de toto, & ambo simul, velut hoc animal est homo, & hoc rationale homo, & hoc animal rationale, & hoc rationale animal, quod non euenit partibus physicis. neque enim forma materia, ~~neque aliquod illorum homo est~~. Itaque hæ sunt partium differentiæ, & hi gradus eius quod est magis aut minus vnum. Differentias partium scripsit Arist. 5. Meta. capi. 25. modos vnius cap. 6. eiusdem sermonis & sparsim multis aliis locis, cum illius operis, tum aliorum. Duo priores modi partium dicuntur facere vnum ex accidēti, reliqui per se, vsque adeò quædam quibusdam magis & minus vna esse dicūtur. Quò totum magis vnum est, eò profectò magis videtur esse aliud à partibus, quò minus vnum, eò magis videtur esse ipsæ partes, quia ratio vnitatis videtur esse in toto, & ratio multitudinis in partibus, quia totum est vnum conflatum ex multis: ergo quò plus habet vnius, eò videtur esse remotius ab essentia partium. Sed videtur, vtcunque sit, totum aliud esse quā partes, nam si idem esset, fieret vt manentibus partibus non posset non manere, at verò si funduntur grana, partes omnes manent cumulo sublato: sed & continuum (quod tamen magis vnum est) perit manētibus partibus, velut lignum fractum non amplius est totum, quanquam partes omnes sunt adhuc. Quin & in physicis partibus hoc euenit, moritur enim homo nulla partium extincta, sed separatis: totū ergo non est suæ partes, sed quod ex illis fit, atque adeò Aristo. 7. Met. cap. 10. ita videtur dicere: Substantia (inquit) est materia & species, & quod ex his. Quibus videtur insinuare aliud à partibus, quod ex his, atque re vera nisi aliud est, videntur multa fieri absurda: nam totum continet partes, videtur tamē oportere aliud esse quod cōtineat, aliud quod contineatur. Præterea, principia rei naturalis sunt illius partes, si ergo essent ipsamet res naturalis, essent principia sui ipsorum: videntur verò hæc absurda: quare non videntur esse idem.

Argum.

Arg. cōtraria.

Contra est quod Arist. ca. 2. primi de phy. doctri. dicit cōtra Parm. continuum quodcunque esse multa. Plato etiam in dialogo de vno omnium principio, ita scripsit, At vnum iunctæ suæ partes existit, nec quod plus minusúe quàm vniuersè. Atque adeò videtur figmentum dicere, totum lignum aliud quippiam esse, quā suas partes: quid enim? Quidam, in quibus est Scot. affirmāt quod est totum per accidens, vt tritici cumulum, esse idem quod partes, id verò quod est vnum, totumque physicè, esse diuersum: quia in cumulo lapidum aut granorum nullæ actiones neq; passiones esse videntur, quæ nō sint partium ipsarum per se, tamen in eo quod est physicè totum, multæ passiones sunt, quæ non videntur partibus tribui, nisi ex accidenti, per se autem toti. Nam siue cumulus tritici pondus habet, siue occurrentia prohibet, siue putrescit, siue quiduis aliud, grana quidem faciunt aut patiuntur, omnia quidem omnino, partim verò singula: quare ibi nihil præter grana esse videtur. Tamen si homo ridet, currit, aut vociferatur, neque materia id, neque forma facit, neq; partim hæc, & partim illa, sed actiones omnes huiusmodi sunt per se suppositi quod est, quod ex his, hominis scilicet: quare hîc totum videtur esse aliud à partibus.

Scotus.

Alia sententia.

Alii statuunt, totum eterogeneum, idest, quod habet partes diuersorum generum, esse aliud à partibus, homogeneum verò esse idem, quia cùm totum est homogeneum, totius est idem actus, & singularum partium, vt totius carnis, & cuiusque eius particulæ, & omnium particularum etiam idem: quare totius & omnium partium erit idem actus, fueritque idem totum & partes vniuersæ: at verò cùm est eterogeneum non est omniū partium vnus actus, singulæ enim habent singulos, totius verò est vnus. quare videtur totum nō esse partes omnes.

Sotus.

Dominicus Sotus omnes has sententias valere iubet, quas tamen neque

expli

explicuit, neque refutauit, sed neq; suam explicuit, quin potius implicuit, ita vt aperte falsa dixerit, affirmans totum esse suas partes coniunctas, idque indistinctè, quasi omnibus modis idem sit, quod non est tamen, vt iam explico. Cùm dicimus, an totum sint suæ partes, aut simpliciter dicimus an partes vtcunque habentes totum sit, tuncque nullam dubitationem ingeret interrogatio (nam constat neque grana separata esse cumulum, neque partes ligni disiunctas totum lignum, neque corpus et animum separata hominem, neque si quę alia huiusmodi sunt separabilia:) aut ita dicimus, an partes omnes cõiunctæ sint idē quod totum, tuncque logicam disputationem habet, si coniunctionis nomine intelligamus non quamcunq;, sed suam in singulis, eā scilicet, qua illę partes natæ sunt totum conflare, vt in granis tactum solùm in ligni partibus continuitatem, in accidētibus & substãtia inhæsionem, in corpore & animo, quam vocant, informationem. Porrò diuersum aut idem Aristot. dicitur numero, aut ratione: numero vnū ea sunt, quæ non possunt seorsum esse, vt numerū faciant, vt homo & musicus, ratione quorum ratio etiam est eadem. Aut ergo Scotus cùm dicit, id quod est totum physicè, esse diuersum, intelligit numero, aut ratione, si numero, falsum prorsus dicit: nā homo quid aliud est quàm materia & forma vnita? vt forma & materia vniri natæ sunt. Si numero essent hæc diuersa, posset alterum ab altero separari, vel intelligi separatum: quare posset esse forma vnita materiæ nullo existente homine, aut homo sine materia & forma. At verò hoc nō magis esse, aut intelligi posse, quàm simitatē sine naso Aristo. est autor. 2. cap. 2. de physi. doctrina, & nullo dicente quiuis videt: sin autem intelligit ratione esse hæc diuersa, fit iuxta illius placitum, vt quod est minus totum, vt cumulus, & candidum, nullo modo differat à partibus, ne ratione quidem. Sed si hoc ita est, fit vt illud totum & omnes eius partes non magis differāt, quàm tunica & vestis (vtor semper Arist. exemplis. (Sed si hoc ita esset, nō essent diuersæ illorum notiones, seu notitiæ, tamē videtur si quis dicat, cumulum totum, aut omnia hæc grana, eandē rem numero dicere, sed diuersis rationibus, velut si quis dicit doctrinam, & disciplinam: nam dicēs totum cumulum, intelligit vt quoddam totum vtcunque totum sit, dicēs omnia grana simul coniuncta intelligit quasdā partes. ratio autem totius à ratione partis diuersa est: quare etsi eidem accidant, erunt tamen ratione etiam multa, nam vt docet Arist. cap. 33. de physi. doctri. iis quæ sunt omnibus modis eadem, necesse est omnia eodem modo euenire. Si ergo omnibus modis est idem aliquod totum, & omnes eius partes, omnia illis eodem modo euenient: sed partes ex quibus aliquid constat sunt priores naturâ toto, totum ergo est prius toto. Totum præterea est in partibus, vt Aristo. ipse dicit cap. 3. 4. de physi. doctrina, ergo totum est in toto, atque eodē modo est vt in quo, & vt quod est. Præterea, fit totum esse partes partium, quia partes sunt partes totius, & omnino eisdē eueniunt omnia eodem modo. Constat verò vt hæc non rectè dicantur, quia scilicet etsi res eadem sit totum & omnes partes coniunctæ, ratione tamen quodammodo diuersa sunt. Si ergo id etiā quod physicè est vnum, idem est numero cum partibus, ratione verò differt etiam quod est vnum vtcunque, quid est quod Scotus possit verè affirmare? Certè quod ego dixi à principio, totum quanto minus vnum sit, tanto differre minus à suis partibus, ac proinde totū physicè magis differre à suis partibus, quàm quod aggregatione solùm vnum fit: neque tamen illud numero, neque hoc nullatenus, sed vtrunque ratione. Sunt verò multi gradus differendi ratione: differunt enim quædam apertius, quædam obscurius, quia ratione differentiæ quædam plus, quædam minus participant. Est aliud, quo interest inter totum physicè, & quod per accidens: totum physicè est per se totum, ac proinde per se differt à partibus: quod solo tactu est vnum, per accidens est vnum, quia verò per accidens est vnum, per accidens etiam differt à partibus. Id verò est apertissimum, nam ratio differendi est quòd totum est: si ergo est totum per accidens, non potest differre per se. Si ergo Scotus intellexit (intellexisse autem illum non diffido, tam erat acutus) quod est vnum physicè differre per se, quod tactu nō differre per se à partibus, sed per accidens vtrunque tamen ratione; verissimè & acutissimè dixerit. Qui dicūt eterogenea differre à partibus, homogenea

Distincta decisio.

Explicat sententia Scot.

nea non differre, ineptè respondent: in primis quia vtuntur imperfecta partitione, nam non respondent de toto physico, sed solùm de toto ex partibus magnitudinis. partes enim physicę non faciunt homogeneum, neque eterogeneum. Deinde, quia transferunt rationem per paralogismum ab actu rei, qua hæc substantia, ad actum rei qua totum: nam etsi totius carnis, vt caro est, idem sit actus qui frustuli carnis, tamen illius vt totum, & huius vt pars, diuersus est actus. Itaque vtcunque, siue totum sit per se, siue per accidens, siue homogeneum, siue eterogeneum, numero idem est cum partibus, ratione differt: differt autem per se, quod est totum per se; differt per accidens, quod est totum per accidens, atque ita ei quod est totum per se, passiones & actiones multæ accidunt per se, quę partibus non nisi ex accidenti, velut homo vociferatur per se, corpus & animus vnita disputant per accidens, quia accidit hæc esse hominem qui disputat: contra, habere pondus per se accidit granis omnibus, per accidens cumulo, quia accidit cumulũ esse grana omnia, nimirum hoc est totum & vnum; & ens per accidens. quare & differt à partibus per accidens, & habet passiones per accidens. Siue ergo nunc Arist. & Plato dicunt, continuatum corpus esse multas partes, siue totum esse in partibus, siue totum non esse præter partes, siue contineri, siue dicũt, totum & partes multa videri, cõstat quo pacto intelligãt. quare hæc disputatio non indiget pluribus.

5 De maximo & minimo.

ARist. cap. 4. libri primi de physica doctrina dixit, disputans contra Anaxagoram, neque animal neque plantam posse quantacunque esse magnitudine ad maius aut ad minus, neque aliquam eorum partem, vt neque carnem, neque os, neque fructus. Et rursum eodem cap. ita scripsit: Manifestum, quod ex minima carne nullũ separabitur corpus: erit enim minor minima. Hac occasiõe philosophi vulgares disputare cœperunt, an ita esset re vera, & an esset rebus certus quidã modus, quem neque crescendo, neque decrescendo possent excedere. De hac re satis superque dictum est in cõmentatione illius loci, & primi cap. octaui lib. eiusdem operis, si per classicos huius temporis liceret, ea solùm dicere, quæ ad rem faciunt quocunque in loco, sed illi eò vsq; processere, vt cum Aristot. nullibi modum crescendi aut decrescendi posuerit, nisi in viuẽtibus, & eorum partibus, illi tamen disputẽt, an corporibus omnibus sit is modus, pręterea autem & an accidentibus quæ intẽsionem recipiunt, vt calori & frigori, & motus celeritati: neq; hoc solùm faciunt, sed de his quæ secundum naturam eueniunt commenti multa, Dei etiam potentiam vocẽt in examen disputantes, an sit quædam magnitudo rebus, aut exiguitas, qua maiorẽ neque Deus tribuere posset. neque his cõtenti interrogãt, an sit aliquid non solùm corporum suæ speciei, sed omnium etiam maximum, aut minimum, quod vocãt maximum maximorum, aut minimum minimorũ. Ego verò his omnibus addo, an sit quęstionibus finis incrementi, nulla enim videtur esse tanta, qua non faciant illi maiorem, vsque adeò dum contendunt nullum genus rei esse, in quo non sit modus, finisque crescendi, non vident se quæstionibus nullum permittere. Sed nos, si possumus, hanc quoque contrahamus. Esto ergo quæstio, an sit res aliqua, quę sine modo possit quantumcũque crescere, aut minui, an non, sed omnia intra quosdam fines sint nata crescere aut decrescere. Est quæstio logica satis, & vtraque ex parte patens disputationi. In primis cum Aristo. 3. lib. de phys. doctrina monstratum sit, atq; à nobis multò magis in commentariis, nihil omnino quod diuisibile sit (hoc dico vt excipiam primã causam, & quæ eius sunt) posse esse actu infinitum, videtur opus esse, vt omnibus sit finis crescendi. Præterea monstratum est Aristoteli multis, omnis continuatæ rei diuisionem esse infinitam, nunquãque diuisione diuisibilis & continuati peruenire posse ad indiuisibile. Videmus tamen nullam substantiam esse, quæ non posset perire sola diuisione. ergo omnis substantia potest perire per solam decretionem. est ergo omnibus finis aliquis exiguitatis, & decrementi. Præterea vsurpatissimum est Aristoteli, quod nunquam factum est, fieri non posse: sed homo nunquam fuit minor formica, neq; maior mõte: ergo neque potest esse. Eadem videtur esse ratio aliorum omnium. De qualitatibus

bus est etiam quoddam argumentum.

Quæuis qualitas videtur esse in quadam substantia primò ac maximè is ergo gradus, quo substantia illi inest (cùm ea secundum naturam habet) summus est maximus quæ, & quo maior esse non poterit, velut calor igni in est primò, frigus aquæ, humor aëri, siccitas terræ calor ergo ignis erit summus, & quo nullus posset esse maior in qua enim substantia sit? Frigus aquæ summum, & aliorum eodem modo. Alia ex parte videtur nullum hominem, nullam plantam, & nullam eorum partem, atque omninò nullam substantiam posse esse tantam, vt non posit esse miaor: nec tam exiguam vt non posit esse minor nam vt libro.8. de physi. doct. monstratum est, nulli rei potest esse vltimum instans, quo sit: vt posis verè dicere, hic homo, aut hic motus, aut hic calor est nunc, & nunquàm post hoc erit: immò verò quicquid est erit, tamen si esset maximus, aut minimus homo aut neruus, aut ignis, aut calor posset esse vltimum instans quo esset. Nam pone eam rem continenter, & citra intermissionem fieri minorẽ, aut maiorem posse autem accretionem, & decretionem esse continuum motum indicatum est à me capit. 3. lib. 8. id nunc temporis quo res, ae erit minima aut maxima, erit vltimum, quo res erit. Nam tunc erit tanta, post hac autem statim minor, aut maior. Cùm autem maior aut minor esse non posit, manens hæc, fit, vt tunc sit, & nunquàm amplius sit futura. Non est ergo maximum aut minimum in rebus. In huius controuersiæ decisione scrie oportet imprimis, illud argumentum, innane esse & nullius momenti, quanquàm sint qui illud magnifaciant, nihil potest esse actu infinitum. Ergo quodlibet habet finem aliquem crescendi. Nam & si ponamus rem aliquam finitam incipere nunc in æternum crescere: nunquàm tamen fiet actu infinita, quanquàm eius incrementum sit infinitum additione, vt tempus, quod ab hoc die, etsi nullum finem habiturum sit, nunquàm est futurum infinitum. Neque hæc ratio argumentandi est legitima: potest esse maius quocunque corpore finito: ergo potest esse infinitum. Quanquàm valeret hæc: est maius quocunque finito: ergo est inifinitum. Quia, vt posit esse maius quocunque finito, satis est, si sit infinitum ex additione. Tamen vt sit maius quocunque finito, opus est, vt sit infinitum actu. Monstratum tamen est à me in commentario. Capite septimo libro tertio de physica doctrina non fieri, si quæ magnitudo sit additione infinita, vt posit esse actu. Ergo quanquàm nulla res posit esse infinita, non proinde fit, vt habeat aliquem finem magnitudinis. Sed quia nulla res potest esse quantacunque magnitudine, neque quantacunque exiguitate, fit euidenter, vt habeat finem crescendi, & decrescendi: sed illum finem habere potest res aliqua natura sua, vel ex accidenti natura sua dico, velut si homo non potest esse æqualis monti: quia non possent in tanta magnitudine idonea instrumenta formata esse ad humanas actiones, ac fortasse nullus animus posset esse actus tanti corporis ex accidenti autem, velut si non posset esse tantus homo, quia nullibi posset esse semen quod tanto corpori generando sufficeret, aut cibus qui alendo. Rursum, finis magnitudinis aut exiguitatis rei alicuius, duplex ratio, seu definitio esse potest aut enim est summa magnitudo, aut exiguitas ad quam res peruenire potest, sunt quę hii termini affirmatione, & vocantur vulgo, termini interni, velut si non potest esse minor quàm pedalis, neque maior quàm bipedalis, nam magnitudo pedalis est minima, & bipedalis maxima quàm potest habere: estque pedalis caro (exempli gratia) caro minima, bipedalis maxima, aut nulla, est tanta vt non posit esse maior, nec tam exigua, vt non posit esse minor, tamen definitur negatione velut si ob decretionem nunquàm antea res formam mutet, quàm sit pedalis, neque accretione, antea quàm sit bipedalis: non posit certò dicere, quæ sit maxima moles rei, aut minima: sed negatione dices, tantum non posse fieri pedalem decrescendo, aut bipedalem crescendo. Hos fines vocant vulgo terminos externos, seu maximum quod non, & minimum quod non. Finem nempe decretionis vocant maximum quod non, quia magnitudo illa pedis est moles maxima eorum quas ob exiguitatem non potest res habere. Nam hanc non potest, potest autem quancunque maiorem

intra finẽ magnitudinis. Finem accretionis vocant minimum quod nõ, quia moles illa duorum pedum est minima earum ob magnitudinẽ non potest res accipere illam enim quã nõ potest, potest aũt quancunq; minorẽ intra finẽ exiguitatis. Imprimis manifestum est, hanc quęstionem esse de rebus

Decisio. quæ possint à natura sua incremẽtum, aut decrementum recipere nam, quod non potest, haud dubie habet semper summã & minimam molem quam potest est quæ eadem maxima & minima, quæ enim soli, lunæ, & toti cœlo, moles est, maxima minima quæ est quam habere potest: atque adeò totũ cœlum maximum corporum quæ secundũ naturã constare possunt, est. Si alia omnia corpora, vt quidam putant, naturã sua, ac per se habẽt certos terminos magnitudinis, per se & natura sua cœlum est maximum corporum, sin autem, vt ego puto, multa sunt, quæ per accidens tantùm habent finem magnitudinis, per accidens quoque est cœlum maximum corporum. Quia scilicet non est locus, vt generetur aliud æquale, cùm nihil possit, nisi intra cœlũ generari. Itaque quęstio est de his, quæ augeri & minui possunt.

Cõis opinio. Huc vsque omnes video in hanc sentẽtiam conuenisse, omnia corpora, atque adeò res omnes, habere terminos magnitudinis & exiguitatis internos aut externos, siue res finiantur per se, siue per accidens, quia scilicet omnia finiuntur, quare internis aut externis finibus. Posita hac communi assertione, quidam dicunt omnia finiri vtrisq; fine magnitudinis dico & exiguitatis perse qa, dicunt Aristotelem. 2. de animo. c. 4. affirmasse, omnium natura cõstantium esse certum finem incrementi, & decrementi, constare verò natura omnia. Quare omnium naturas amare quosdam certos fines, atque adeò quamcũque formam seruari quadam certa magnitudine, amareque hanc materiæ dispositionem, vt aliam quamcunque, itaq; hominis & carnis, & auri, & ignis formam, modum quendam magnitudinis desiderare, verum vix vlli sunt qui ita putẽt. Intelligunt enim plæriq; animata corpora solum, & cœlestia, & eorum partes habere per se terminos magnitudinis, quia scilicet hæc habent secundum naturam, figuram, & instrumentorũ formationes, ad proprias quasdam & congruentes cuicunque speciei actiones accomodatas, quæ nõ nisi in quadam certa corporis magnitudine possit consistere. Quia, & si formatio quæuis videatur posse eandem esse: & partium proportio eadem in exigua, & magna mole, tamen est necessaria ad actiones non minus certa magnitudo quam ipsa formatio. Alia verò corpora (inanimata dico) vt ignis, aër, & aqua, cum non ament secũdum naturã, figurã neq; cõpositionem, cur indigeant tanta, aut tanta materia? Materia quidem indigẽt hæc quoque, corpora cùm sint tamen non certa, sed fines haben tantùm modo per accidens, velut ignis, quia non possunt infinita ligna suppeditari, ac denique omnia, quia non est infinitus locus, quo capiantur. Hæc est apertissimè sententia Aristotelis qui nuper citato cap. secundi de animo ita scripsit. Ignis quidem accretio in infinitum progreditur, & eo vsque fit, quò vsque sit combustibile. At eorum omnium, quæ natura constant, & finis, & ratio tam magnitudinis, quam accretionis. Hæc Aristot. quo loco cõstat illum constantia natura vocare ea solum, quæ vita participant: alioqui & ignis natura constat, cuius incrementum in infinitum dicit natum esse progredi. Non quidem, quod fieri possit actu infinitum: nam cùm nihil tale esse possit, neque fieri possit, sed quod nullum alium modum crescendi habet, nisi quatenus sit combustibile. Ergo ignis finem habet crescendi non sua natura sed per accidens. Quia non possunt esse quantacunque combustibilia. Eadem autem ratio est omnium corporum inanimatorum. Itaque, qui ponit omnib⁹ rebus esse fines quosdam magnitudinis, & exiguitatis perse, Aristo. repugnat, & prętereà in re ipsa fallitur. Nam ignis crescit commutans alia quæ occurrunt in suam naturam, & quo maior est factus, eo melius potest quæ occurrent commutare. Ergo quantum in sua natura agitur, quo maior est, eo magis potest crescere. Neque verò in his dici potest, formam non posse esse actum, nisi tanti corporis: nam in quibus crescit forma cum corpore, quanto plus est materiæ, tanto plus est formæ atque vt minus formæ, paucioris materiæ, ita plus pluris potest esse actus ergo ignis natura sua nullũ habet modũ crescẽdi: sed neq; decrescẽdi qa ei tẽperies quędã, & quidã substãtiæ modus cõgruit secundũ naturã, quæ in quãtula cunq; magnitudine esse possunt, non minus quàm in maxima, figura verò aut formatio per accidẽs solum potest ei adesse ob continens scilicet, aut ob

positum

positum lignorum, aut denique externum aliquid ergo neque certa magnitudo potest nisi per accidens, congruere sed per accidens dicamus qua ratione congruat. Ad maius quidem Aristoteles dixit, quia non possunt ad esse quantacunque combustibilia adminus autem nos diximus in commentariis, quia omnes res connantur proximas quasque trahere in suas naturas, singula autem eò minus se possunt à proximis tueri quo sunt minora. Possunt ergo venire singula ad eam exiguitatem qua non possint se tueri vbicunque esse ponantur. Quare obmutuam pugnam rerum omnium nulla nisi cum quadam magnitudine durare possit. Itaque hæc est Aristotilis, & omnium ferè sententia, corpora viuentia habere natura sua fines quosdam incrementi & decrementi: inanimata verò per accidens; quanquam de fine decrementi non consentiunt omnes, esse per accidens. Multi enim dicunt, ignem natura sua amare molem quandam, & obliuam naturam non posse esse quantumcunque exiguum, sed formam ignis, vt gignatur amare certam quandam molem, vt aliam quãcunque mareriæ dispositionem: atque ita cum gignitur ignis, esse minimam quandam portionem ignis, quæ antè alia gignatur, ea scilicet qua minor esse non potest, eamque esse minimam, quæ sic (ita illi locuntur (neque id quidem esse in commodum, quia substantia habere potest primum nunc temporis quo fit: verum cum corrũpitur nõ posse esse minimum ignem, quia illius esset vltimum instans, sed finiri termino externo, hoc est, maximo quo non. Quiddam horum præthereà addunt, vt in primo nunc gignitur minima illa partiuncula ignis, ita deinceps incrementum fieri per minima & proinde accretionẽ non posse esse continuatam: quia scilicet videtur qua ratione in initio non potuit gigni minor, quàm illa particula, eadem: neque deinceps posse. Quare fieri per minima atque hi ipsi eò dementię venerunt vt dicerent, ignẽ illa minima magnitudine esse vnum per se, maiori autem esse per accidens quasi alia sit ratio vnitatis in paruo & magno igne quàm in continuitate. His alii benè occurrunt, si in primo nunc nõn alia causa genita est tanta pars, quàm quod non potest minor consistere, deinceps non opus est, vt per æquales semper accesio fiat. Poterit enim quantulumcũq; addatur consistere cum priori. Sed miror quo pacto hi nõ sentiant se repugnare Aristoteli (quod tamen illis iam olim nefas est) qui libr. 6. capit. 6. multis monstrauit in generatione quæ in tempore fit non posse esse primum mutatum, velut, si stuppa admoueatur igni non quidem secundum multas partes, sed secundum vnum extremum ad superficiem incipiet ea parte ardere & sensim serpet ignis generatione continua secundũ partes stuppæ. Quare antè quamcunque partem erit eius dimidium inflammatum. Quare, cum diuisio continui sit infinita non erit pars aliqua ignis prima generatione. Non est ergo de sententia Aristotelis minimus ignis per se, quia ille esset qui primo generaretur. Dices, hinc fieri, vt neque per accidens sit finis aliquis ignis: quia siue per se siue per accidens esset aliqua magnitudo qua ob exiguitatem non posset esse ignis, necesse esset esse aliquam partem quæ primo gigneretur: verum in commentariis respõdimus, in via ad interitum habere res inanimes finem decrementi per accidens: quia non possunt se quacunque exiguitate à circumpositis tueri. Tamen in ortu non habere, sed posse antè quamcunque partem genitam esse minorem: quia ab eadem causa à qua gignitur vnumquodque potest conseruari & à circumpositis defendi. Itaque videmur iam monstrasse & ex Aristotele collegisse, animata corpora habere secundum naturam fines crescendi & decrescendi: inanimata verò per accidens habere finem magnitudinis: exiguitatis verò in via interitus habere per accidens: in via ortus nullo modo. Quia non est primum mutatum esse in generationibus continuis secundum partes materiæ. Proinde dicunt quidam, animata corpora & eorum partes finiri terminis internis: inanimata externis: velut esse maximum & minimum hominem, maximam & minimam carnem non tamẽ maximum aut minimum ignem: sed minimũ, qui ob magnitudinem esse non possit: & maximum, qui ob exiquitatem. Hi confirmant suam sententiam: quia Aristoteles loco citato dicit, eorum quæ natura constãt (intelligens viuentia & eorum partes) est finis & ratio incremẽti & decrementi hęc autem animæ, sed nõ ignis & rationis magis q̃ materię videtur? Si autem animata etiam finirentur terminis externis, nihil interesset

Scot, & vulgares thomistæ

Caietan⁹

hac in re inter animata & inanima. Quare malè dixisset Aristot. esse constantium natura finem & rationē, sed non ignis. Preterea, animus, qui act⁹ est corporis viuētis, est quædam finita potētia, non ergo potest vitā tribuere quantocūque corpori: sed est quędam magnitudo, cui potest esse actus, cū nō posit maiori velut corp⁹ quodcūq; certum quēdam locum occupare pōt, maiorem aūt non potest: & ignis ad quodā spatiū potest calefacere, mai⁹ aūt nō potest. Exiguitatis finē esse etiā internū in his putāt, quia formatio & figura non nisi in magnitudine quadā esse potest alii vlterius progrediuntur, statuuntq; finē magnitudinis esse internum viuentibus & eorū partibus, aliis externum, finem verò exiguitatis omnibus internū: qa dicunt, in omni genere dispositionis materiæ, esse minimā dispositionem, quę est satis, vt gignatur forma, ea scilicet quæ est in primo nunc tēporis quo est gegnita forma: magnitudinē verò esse quādam materiæ dispositionem. Sed hi oēs conuincuntur luce clarius illo arg. quod in initio dispositionis proposuimus acceptū à ratione, qua finiuntur res, quæ permanentiā habent. Nimirum fit, vt posint finiri vltimo aliquo nūc quo sint. Hallucinantur profectò in media luce, qui tentant respondere, dicunt enim non posse hominē illum maximū augeri propriæ apposito alimēto quasi verò nō quęuis particula corporis seipsam nutriat & augeat, caro carnē, & os os gignēs cur ergo nō posit hæc carnis pars, si benè tēperata, est accedētē particulā cibi carnē facere, quia, dicūt, nō potest animus maioris corporis esse actus. At forma equi augetur cū materia: nō ergo iam deerit forma. Quod si hoc de homine solum intelligis, pone illū hominē morbo intumescere, fietq; vt vltimū nunc quo nō est motus tumefactionis, sit vltimū quo est homo. Respōdent, non esse, posse enim hominē illum præter naturā & morbo esse maiorem & si secundū naturā non posit quasi verò animus hominis præter naturā affecti posit esse maioris virtutis q̄ cum benè valet: positq; maioris corporis esse actus. Pręterea non respondent ad rem. Quærebatur enim simpliciter. An sit moles maxima qua posit esse homo. Respondent, est maxima qua posit benè valere: sed rogo rursum, an est maxima qua posit esse omninò non respondent tamē putant se respondisse cōstat tamen illos nō posse dicere esse maximā magnitudinem, qua omninò esse posit quia redit argumētum fitque vt sit vltimum nunc quo sit homo de fine exiguitatis respōdent, illud minimum esse posse in via ad ortum, nō in via ad interitū. Sed hoc falsum esse & aduersum doctrinę Aristo. lib. 6. de physica doctrina. c. 6. monstratum iam est. Præterq̄ quod, si non est minimus ignis in via interitus, cur in via ortus illud ponunt? Nonne si hæc esset dispositio necessaria ad generationem, esset etiam necessaria ad cōseruationē? Vt ergo forma ignis non gigneretur anteq̄ esset: ita esse desineret, cùm primum desineret hæc magnitudo. Ergo præter omnē philosophiam est, dicere, aliquā magnitudinem esse necessariam in ortu, quæ non sit in interitu, aut cōtra: nisi per accidēs, vt ego antea explicui. Itaque hi falsa profitentur dicētes esse internum terminum magnitudinis viuētibus & exiguitatis omnibus rebus. Multoque melius sentiunt, qui statuunt, nullius omninò rei esse finē internum magnitudinis aut exiguitatis hoc vnico argumēto, qd' adhuc stat, stabitque semper quātum intelligo, ꝙ esset vltimum nunc tēporis quo esset res. Quid ergo respōdebimus eorum argumentis? Nō certè sit difficile. Imprimis Ari. 2. de anima nihil minus dicit, q̄ natura constantium esse fines certos, & quos illi vocāt internos magnitudinis & exiguitatis: sed illud solum dixit, esse finem & rationem incrementi & decremēti erit verò ratio & finis & si sint fines externi. Quod si 1. lib. de physica doctrina. c. 4. Dixit, si ergo minima caro & minimum os, ibi non duxit ille rem ad tam exactum, sed minimam carnem vocauit eam quæ est citra maximam quę non. Quod si tibi hæc enarratio nō placet tamen id quod dicitur non potest displicere: quia argumento efficitur. Ego quidē nunquàm vna vocula Arist. quam fortasis ille incautè protulit per mouebor, cùm res ipsa mihi videtur euidenti aliquo argumento indicari sed venio ad reliqua. Animi nostri (agam⁹ de nostro animo vt sit fortius argumētum) est virtus finita fateor non potest ergo esse actus quanticūque corporis, hoc quoque fateor, ergo est quædam summa magnitudo cuius esse potest, nego, nā dixi, hāc ipsam magnitudinem ad quam potest produci, finiri terminis externis. Est scilicet minima cuius non pōt esse actus, non maxima cuius pōt. Velut candela nō pōt quodcumq; spatium illustrare, sed quoddā; illud autē quod illu-

stra

stratur ab eo quod nō illustratur nō separatur fine interno, sed externo: quia cū sensim lumē remittatur, vt pducitur: si esset punctū loci vltimū in quo esset lux, in illo esset intēsio indiuisibilis. Non ergo ita finitur vis illuminādi, cui simillima est vis animi. Accipere aūt, vim animi posse produci ad certā quandam magnitudinē, atque ita probare esse maximū hominis corpus, est quod dicunt, idē per idem. Praeterea argumētātur, magnitudinē esse vnum quidam eorum quae formę gratia in materia desiderantur. Nobis verò iam dictū monstratumq; est antea, ad formas inanimatorum desiderari magnitudinē, nullā autem certam. Itaq; hi fallūtur magnopere, supestq; nullā rem finiri internis finibus magnitudinis aut exiguitatis. Quid ergo super est? Et dicunt qui nostrę sentētiae hucusq; fauēt, omnia habere fines externos, tam incrementi q̃ decrementi. Sed rogēt alii, qui differunt ergo animata à reliquis? Respondebunt hi, animata habere hos fines pse, inanimata ex accidenti, etsi alioqui, idē fines vtrique sint. Ego verò nō hoc solū interesse puto, sed quod dicā. Animata corpora & eorū partes habēt fines certos magnitudinis, sed externos, inanimata verò etsi exiguitatis habent finē externū in via ad interitum, in via aūt ad ortum nullum finē habent, vt monstratum iam est: inanimata pręterea magnitudinis nullum finē habent certū, internum aut externū, neq; perse neque p accidens. Nā si ignis quidem posset adeò crescere vt repleret totum id spaciū quod intra cœlum est, ea magnitudo esset maxima q̃ posset habere, essetque finis intern⁹, quia nō posset amplius pduci, tñ non pōt eò vsq; crescere, quia nō oīa sūt cōbustibilia, sed naturali necessitate effectū est, vt intra cœlū quatuor naturarū sint corpora. Pōt ergo crescere quo vsque sint cōbustibilia, aliorū aūt neq; magnitudo neque multitudo certa est, ergo neque magnitudo q̃ ignis habere pōt. Pone enim q̃cunque lubet magnitudinē, esse minimā qua non pōt ignis esse, & sit ignis vna vncia minor, admoueantur duo cōbustibilia vtrūque magnitudinis vnciae, admoueantur aeque. Aut vrētur ambo, aut alterum, aut neutrum. Si vtrūq;, fit ignis maior minimo quo nō, si neutrum fit vt ignis potēs vrere nō vrat cōbustibile, potēs vri & admotum. Non est aūt ratio maior qua vrat vnū q̃ alterū. Quod si dicat vret vtriusq; dimidiū: admoueatur alterum ad orientē, alterum ad occidentē. Totū hoc corpusculum ad orientē vreretur, nisi admoueretur aliud ad occidentē. Sed quid phibet illius vstionē hoc, aut illd hui⁹? aut q̃ huic ignis parti, sēsus illi⁹, aut illi, hui⁹? Hoc.n. illi, neq; locū tollit, neq; materiā, neque mediū, neq; vim. Quòd si dicas hoc euenire, quia ignis forma non pōt esse cū tāta mole: hoc rursum est dicere ignē pse habere finē magnitudinis, & nō p accidēs, qd' refutatū iā est, vt aduersū veritati, & Arist. doctrinae. Supest ergo ignē neq; pse neque p accidēs habere certū finē icremēti. Dices ergo. Pōt esse infinitū, nego. Nā indicatū est in principio, nō fieri vt infinitū esse possit q͞ non habet finē crescēdi. Dices rursū, ergo pōt esse q̃tacunque magnitudine finita, quare poterit esse maior cęlo. Hoc quoque nego Nā neque hoc sequitur, si nō pōt esse q̃tūcunque, habet finē certū. Hoc quidē sequitur, nō pōt esse quātūcūque, ergo habet finē crescēdi, ille tñ finis crescendi, pōt esse cert⁹ aut incert⁹: certus est cū est aliqua moles maxima qua pōt aut minima qua non pōt: incertus cū res nō pōt crescere q̃tūcūque, sed null⁹ est cert⁹ finis. Velut ignis nō pōt esse maior cœlo, neque aequalis, tñ nō est illius aliquis finis certus, quia nullus est quo nō possit esse maior: neque aliqua magnitudo est minima earū quas nō pōt habere, sed finitur in certo termino semp, vt habebūt res aliae, q͞ā p accidēs finitur. Quarē ergo nihil fallaci⁹ esse putō illa argumētatione, q̃ barbari oēs vt firmissimā amplexantur, q̃ vocāt à subcōtrariis. Aliqua mole pōt esse ignis & aliqua alia nō pōt ob magnitudinē, ergo est maxima moles qua potest, aut minima, qua nō pōt esse. Ego qdē nego, quia vt dixi, pōt esse finita in certo fine. De corporib⁹ verò oībus dictū est, mōstratūque aīata, habere pse fines certos, sed externos magnitudinis & exiguitatis, inanimata verò p accidēs habere fines quoscūque habēt: habere aūt magnitudinis incertos, exiguitatis in via ortus nullos, in via interitus certos & externos. Caeteros aūt & internos nullā substātiā habere, neque pse neq; ex accidēti. Occurrit mox argum. videri hoc quoque esse falsum quia fieret vt magnitudo aliqua non posset diuidi in duas partes aequales. Hoc verò est falsum, quia cuiusque magnitudinis diuisio

Epilogus

Obiectio.

per partes dimidiatas, poteſt procedere in infinitum. Nã ſit aquæ maxima moles qua ob exiquitatẽ non poteſt eſſe librarũ duarum menſuraliũ, nõ poterit diuidi in duas partes ęquales, eſſet enim quæ vis pars minor maxima, qua nõ poteſt eſſe. Huic arg. in cõmentariis reſpondimus accepturam quidem eam aqua diuiſionem, interiturã verò quamcũq; partem in aliam ſubſtantiam, quę poſsit eſſe eà magnitudine quod ſi ponas eã ſubſtantiam quam accipis in argumento eſſe quæ omnium rerũ minima eſſe poſsit, diuidetur etiam, coaleſcet verò quæuis pars cum aliqua rerũ circum poſitarũ, ibitq; in eius naturã. Quod ſi ponas hoc non poſſe fieri, non admittam hypotheſim. Nam cur non poſsit? Sed de ſubſtãtiæ cuiuſuis finibus ſatis eſt diſputatũ.

De accidentium finibus. De accidẽtibus quoq; altercãtur, an habeant fines certos intẽſionis & remiſsionis, qua profectò nulla diſputatio põt eſſe magis aliena à phyſica doctrina, quia Ariſt. ſæpe ſępius in phyſicis negat affectus habere aliã diuiſionẽ, quam ſecundũ partes corporis cui inſunt. quia ſcilicet diuiſio intenſionis & remiſsionis nõ eſt phyſica. Quidã ſophiſtę ſtatuunt omniũ accidẽtium eſſe quoſdam certos fines intẽſionis & remiſsionis qui quidem in hanc ſententiam veniunt, quia eſſe ſummum calorem aut frigus illo arg. videtur fieri quod in principio propoſuimus. Scilicet non põt eſſe calor maior eo q̧ eſt in igne puriſsimo, neque frigus maius eo quod in aqua maximè habẽte ſe ſecũdum naturã, hoc ergo frig⁹ ſit maximũ, & ille calor. Minimum verò etiã eſſe probant ponentes eſſe qualitatem extenſione minimã, hoc eſt eſſe quandam caloris extenſionem qua minorẽ habere nõ poſsit. Si enim hoc ita eſt, dicunt neceſſe eſſe, vt ſit etiam minima intenſio. Nam ſi quippiã carens omni frigore, incipiat refrigerari, neceſſe eſſe vt tanta illius pars, quanta eſt minima extẽſio, refrigeretur in inſtãti ſeu nunc tẽporis, ſi autẽ in inſtanti, habere intenſionem qua nõ poſsit eſſe minor. Nã ſi poſſet eſſe minor, ea eſſet ante hãc genita. Me profectò pudet referre hîc ſophyſmata tã multis abſurdis plena, neque referrẽ niſi in claſsicis ſcripta paſsim occurrerẽt.

Refutatio. Imprimis accipiunt eſſe minimã extenſionẽ caloris, quo nihil eſt magis abſurdum. Nam eſſet prima pars mutata, in eò quod moueretur, quã non poſſe eſſe Ariſt. 6. de phyſica doctrina ca. 6. probat, eſt quæ manifeſtum. Nã ſi aliqua pars certè magnitudinis incaleſceret tota ſimul, ita vt nõ incaleſceret eius medietas antè totã, fieret vt ignis æque calefaceret atq; æque citò quod longius abeſt. Et quod proprius eſt. Nam cum admotio fiat ſecundũ extremitatem indiuiſibilẽ, nulla diuiſibilis pars eſt, quæ nõ habeat partẽ parte propinquiorẽ. Deinde cùm affectiones nõ habeant extenſionẽ per ſe ſed per ſubiecta non poſsint habere maximã neque minimam extenſionẽ per ſe, minimã verò non poſſunt habere per ſubſtantiã, quia & ſi in quouis ſubſtantiæ genere ponatur eſſe minimum, poſsint tamen affectiones eſſe minores, cum nõ ſit opus vt totũ corp⁹ teneat affectio. Itaque maximã aut minimam extenſionẽ tribuere qualitati, eſt abſurdũ. Nam neque ſubſtantiæ, quæ incrementa recipere poſſunt, habent iſtos fines. Magnitudinis verò finẽ habet quæcunque affectio per accidens, quẽ ipſa corpora. Is ſcilicet eſt finis extenſionis cuiuſque affectionis corporis maximi cui ineſſe põt. Quare quia ineſſe poſſũt corporei affect⁹ inanimatis, habuerint incertum finẽ magnitudinis, vt illa: exiguitatis aũt habent nullum, vt mõſtratum eſt. Deinde colligunt, fieri vt in nunc tẽporis tãta particula refrigeretur tãto frigore, qd imprimis nihil aliud fuit q̃ dicere, motum fieri in nunc tẽporis, quod ne dici quidem debuit ab eo, qui philoſophię nomẽ audiſſet: deinde malè colligunt: nã ſolũ fit, vt tãta particula refrigeretur ſimul, ita vt in ea nõ refrigeretur pars ante partẽ, non tñ, vt tanto frigore tota in nunc tẽporis. Quia & ſi tẽpus refrigerationis nõ diuideretur ſine particulis partis refrigeratę, diuideretur tñ ſecundum partes intenſionis frigoris. Itaque ſiquidẽ quęuis qualitas corporea, quæ ſecundũ magis & minus dicitur, motu gignitur, & mot⁹ nõ põt fieri in indiuiſibili nunc tẽporis, cõſtat nõ eſſe minimam intenſionẽ caloris qui gignitur, quia ante q̃cunque fuerit minor. Sed neq; cùm extinguitur calor, põt eſſe minimus. Quia cũ ſemp gignatur tantũdem qualitatis cõtrariæ quantum extinguitur cuiuſq;, ſi tãtus quidã calor in vltimo aliquo nunc extingueretur, tantum frigoris in eodẽ nunc gigneretur. Si ergo gigni tantum in nunc temporis non poteſt, neque extingui poſſit. Itaque probo tales qualitates finẽ re-

miſsionis

missionis non habere, habere autẽ finem intensionis, eũque internum, esse ꝙ calorẽ maximum intẽsione, & frigus maximum. Nam, vt diximus, nullus potest esse maior calor eo qui in igne purissimo, neque hoc posito euenit quidquam absurdi. Non enim fiet vt sit vltimum nũc quo sit calor, quia maximus ille non poterit augeri, sed aut manebit, aut minuetur manẽs adhuc calor, & si non maneat tantus. Monstratũ autem est à me in commentariis, non posse esse vltimum nunc quo sit calor, posse autem esse vltimum quo sit tantus. Non contenti his nostri philosophi, rogant rursus, an possit Deus facere calorem maiorem maximo (quæ de calore dico, de omni corporea qualitate quæ secundum magis & minus dici potest intellige) & an hominem & æquum & aliud quoduis animatũ corpus, maius minimo quod non potest esse, an illi fines naturę soli positi sint, non etiam Deo. Quidam illorum contendunt non posse, quia non videtur posse maiorem gratia Christi, cui quam tribuere (item minimè physicam) quæ tamen infinita, non fuit sed summa. Ego verò breui de hac quoque quæstione dicam quod res habet. Substantiæ augendæ proculdubio nulli fines positi sunt Deo, sed potest quantumcunque vellit, quamcunque facere equum quidem & asinum, & bobem, haud dubium, quia augetur forma cum materia, addens ergo corpus benè temperatum, & cum innati calidi copia, possit quantum vollet augere. Hominem verò cui est ille animus indiuisibilis substãtia, nõ est tam facilè quia illius animi vis, est certa quædam, & non mutata natura non videtur Deus posse facere, vt habeat quantamcunque vim. Cæterum hominẽ quoque potest quãtum vollet facere, quia etsi non possit facere, vt animus perse habeat vim quantamcunque tamen cũ quadam meliori concursione, potest facere vt illa vis quam habet, sit satis ad corpus quãtumcunque in vita continendum. Itaque substantiã quamcunq; potest facere quãtamcunque. Tamen non potest facere infinitam quia infinitam fieri non posse cap. De infinito monstrabitur, est quæ in commentariis monstratum. Qui affirmant ne Deum quidem posse qualitatem maiorem summa facere, non negant Deum posse gignere gradum caloris nouum, eumque addere prioribus, sed respõdent futurum, vt Deo addente vnum, vnus eorum qui præerant, deleatur, vel vt ij gradus qui prę erant, & is qui accedit, non faciant vnum, sed sint in eodem subiecto duo calores. Id verò posse Deũ facere. Sed quorsum hæc? Quanto facilius est gradum addere, & maiorem calorem facere, eo qui secundum naturam esse poterat? cur hoc negãt, illud cõcedunt? Certè nõ ob veritatis studium, sed disputationis gratia, vt sophistæ semper solent. Ego verò ita statuo, nullã qualitatem earum quæ secundum magis & minus dicuntur esse, qua non possit Deus facere maiorem, & intensiorem. Siue enim intensio additione graduũ, siue radicatione (hæc enim sententiæ sunt) cur non possit Deus facere maiorẽ? Si enim nulla substantia est quæ cũ maiori seruari poterit seruari tã poterit ab ipso Deo omnipotẽte cũ quacunq;. At dices, indicatũ esse à me 1. lib. cõten. Medicarum cap. 4. non posse qualitatem aliquam talem produci, quin tantumdem contrariæ corrumpatur, si igitur summus calor est cum quo nullum est frigus, non poterit ei gradus caloris addi, quia non erit gradus frigoris qui detrahatur. Verùm hęc quoque lex vt numquàm gignatur qualitas quin tantumdem contrariæ corrumpatur, naturalis est. Deus non tenetur ea lege, neque enim ipsum addi calorem, est detrahi frigus. Nã vt detractio frigoris fit p se, ita additio caloris. Ergo pōt à deo (quãq̃ natura nõ possit) fieri sine frigoris detractiõe. Neque video cur nõ possit augere q̃cunq; qualitatẽ, natura auctilẽ, & finitã. Gratia christi aut infinita fuit, aut quãta illi placuit. Cur aũt placuerit tãta, cũ potuerit esse maior, interrogare non solũ nõ est theologi, sed ne philosophi quidẽ, qui sciat eũ esse primã causam. Sed neq; de accidẽtiũ ipsorũ finibus disputare, satis videtur vulgaribus physicis, nisi etiã disputẽt de passiõibus ipsorũ accidentiũ, dico aũt, velut celeritas est passio mot⁹. De celeritate & tarditate sũt, q statuãt esse summã celeritatẽ & tarditatẽ in motu sed qđ res habet, haud est intellectu difficile. Actu quidẽ est ea celeritas qua primũ cœlũ ferť, maxima, & qua secundũ naturã esse nõ pōt maior, id verò nõ ob ipsius celeritatis naturã. Nã quantũ in ipsa celeritate agitur, posset esse maior, sed p accidẽs, qa no pōt secũdũ naturã esse corpus maioris,

Alia quæstio. *Respondetur.* *Refutatio.* *Alia quæstio.*

aut tantæ molis, quod minori aut æquali tempore cõuertatur. Verum per se celeritatis nullus est finis, neq; secũdum maius, neque secundum minus, nã cum celeritas crescat, aucto spatio quod per curritur, aut imminuto tẽpore, & tarditas crescat imminuto spacio aut aucto tẽpore, tempus autem sit additione infinitum, & quoduis continuum infinitum diuisione, cõstat celeritatem quoque & tarditatem posse sine fine crescere, quãtum in ipsa agitur. Atqui tarditas nulla est in rebus actu, qua non possit esse maior. Nã quanto ea figura qua distinguntur, horæ maior est, tanto gnomon mouetur tardius, magnitudinis autẽ horologiorum nullus est finis: nam eadem est ars faciendi horologiũ in exiguo circulo & in quantocũq;, itaque tarditatis, neq; perse neq; per accidens est finis, celeritatis perse nullus, per accidens autẽ fortasse est celeritas primi cœli. Disputãt prætereà de dispositionibus materiæ, vt formam recipiat aut retineat, cõsiderant nimirum accidẽtia quà eis benè disponitur materia vt recipiat formam, velut lignum calescens aptum fit abire in ignem, vocantque has dispositiones productiuas, vel quà benè disponitur vt formam retineat, velut inflammata res non antea deponit formã ignis, quàm deponat tantum calorem (has vocant dispositiones conseruatiuãs (statuunt ego dispositiones ꝓductiuas esse minimas quæ sufficiant, illas scilicet, quæ statim ac sunt, forma esse incipit, conseruatiuas verò esse maximas quæ non sufficiant, eas scilicèt quæ cùm sunt, forma esse desinit. Id vero est verissimum quia forma incipit primo instanti quo est, finitur verò primo quo non est. Sed hęc pendent ex alia disputatione, quæ habebitur de ratione qua res esse incipiunt & finiuntur & multa etiam dictorum pendent ex disputatione de infinito illas ergo duas quæstiones huius gratia legi vellim, ne ego eadem pluries dicã. Hæc autem quęstio plurimum iam producta est, quam quam profecto est minimã, quæ de maximo & minimo esse potuit, ita tamen, vt nihil omitteretur, eorum quæ hoc loco, siue physicè, siue metaphysicè, dici solent.

Alia q̃stio.

6 An principia. Sint plura aut pauciora tribus & an contraria.

Aristoteles capitib⁹ quinto & sexto & septimo primi libri de physica doctrina, multis probat, principia naturalia esse tm̃ tria, & esse cõtraria. Quod quidẽ à nobis satis in cõmẽtariis explicatũ est, atq; si quę sunt obiectiones non contemnendę dillutæ sunt, sed nihil mali sit, Nunc quoq; hoc disputando, saltem ob Tyrones quorũ gratia susceptus hic labor est, magis explicare. Faciã vero id breui. imprimis non videntur esse contraria, si sunt tria, quia vnum vni soli potest esse contrarium, tria autẽ si sint contraria, necesse est quodcũq; esse cõtrarium duobus, deinde dictum est à me in cõmentariis primi capitis, cõstatq; id ex. 5. methaphy. principii nomen latiùs patere q̃ nomen causę, & hoc quam nomẽ elementi. Ergo omnia elementa rei naturalis & omnes causæ sunt principia quare plura erunt quam tria, quia elementa seorsum sunt quatuor, & causæ iuxta sententiam Aristotelis totidem, atque nos addidimus aliud prætereà genus causæ. Alio argumento non videntur esse tot: Essent enim materia forma priuatio, at verò Arist. cap. 6. citati libri dicit principia autẽ semper oportet manere, & mox septimo capite disserens de priuatione dicit, fieri rẽ ex ea, vt ex contrario minime permanẽte. ergo priuatio non est principium rei natulis, sed duo tantum, materia & foma, atqui hoc videtur docere aperte eodem septimo capite dicens, manifestum igitur quando quidem sunt causæ & principia eorũ quæ natura constant, ex quibus primum sunt, & facta sunt, non secundum accidens, sed vnũquodque hoc dicitur secundũ substãtiã, fieri quidẽ omnia ex subiecto aliquo & forma. Prætereà constat principia nõ posse esse contraria, quia substantiæ nihil põt esse contrariũ. accidentia ergo erunt si cõtraria, sed Aristo. cap. 6. dixit, principium autem non vt in aliquo subiecto dici oportet, & mox eodem capite dixit, quo pacto ergo ex iis quæ non sunt substantia substãtia fiet? Prætereà forma fit ex priuatione. non ergo sunt contraria. nam Aristot. dicit capit. 5. contraria non fieri ex se mutuo. Hæc controuersia facillimè decidetur ab eo qui intellexerit quę in commentariis illorum capitum diximus. Imprimis constat hic inuestigari principia, non quęcunq;, sed prima ortus naturalis eadẽ aũt est ratio principiorũ cuiusuis mutationis,

omnis

omnis enim mutationis,siue naturalis,si-
ue arte factæ,siue secundum substantiam,
siue secundum accidẽs. Tria hæc sunt prin
cipia,materia forma & priuatio,quia quid
quid fiat,aliquid fit ex aliquo , & quod fit
non est.verum non omnia principia inci-
dũt in hæc tria. Nã principiũ dicitur omne
illud ex quo aliq̃d fit,ex aliquo aũt dicitur
fieri aliq̃d multis modis:nã ex patre proles
& excupiditate regnandi bellum,etsi nul-
lum horum sit materia forma aut priua-
tio.Sed id apertius cõstat, quia omnes cau
sæ sunt principia non tamen incidunt om
nes causæ in materiam formam & priua-
tionem.Nihil enim horum est finis , neq;
quod efficit,ac multo minus exemplar, si-
que talis est causa præter alias , quo pacto
ergo sunt illa omnia principia,certè princi
pia quædã sunt interna rei, cuius sunt prin
cipia,quædam externa. finis & quod effe-
cit & exemplar externa sunt , sola autem
hæc tria interna:generatim ergo nobis dis
putantibus,plura sunt quam tria principia
mutationum(sunt enim alia externa,) ta-
men in mutatione naturali iuxta dogma-
ta Aristo.haud multum esset opus hac par
titione,quia ille putat in causis rerum na-
turalium,finem & efficientem causam es-
se ipsam formam:quod quidem nos quoq;
in cõmentaris libri secundi cap.7.diximus
quodam modo esse verũ, ergo omnia prin
cipia ortus naturalis incident in tria, quam
quam sint plura principia aliorum muta-
tionum nobis verò videtur adhuc superes
se causa exemplaris,quæ non minus quam
aliæ,rationem habet principii minus autẽ
videtur posse ad horum aliquod referri.
Nos ergo addemus, hìc quæri principia or
tuum naturalium,singularum rerum non
totius vniuersitatis.fuit autem causa exem
plaris primi rerum ortus,quam intuebatur
rerum opifex,singulorum autem ortuum
non est.Non enim hic ignis exemplar in-
tuens gignit hunc,aut si generatim de or-
tis principiis loqui vellimus dicemus solũ
hæc tria esse interna.Sed obiiciunt rursum
priuationem non esse internam rei.non e-
nim constat homo ex non homine, quare
si interna tantum requiruntur, duo tãtum
superesse.sed scire oportet , principia esse
posse rei naturalis,aut ortus naturalis , aut
quod idẽ est , ortus rei naturalis principia
sunt ex quibus res est,ortus naturalis sunt
ex quibus res fit.Res verò naturalis est ex
materia & forma,nulla ex re minus quam
ex priuatione,ortus autem rei est ex mate-
ria & forma & priuatione quia est muta-
tio ex priuatione ad formam in materia.
Illa ergo tria sunt principia ortus natura-
lis rerum,rerum autem ipsarum per se sunt
tantum duo,materia & forma, quodã mo
do autem tria.quia priuatio per se est prin
cipium ortus,& per accidens rei,quia ma-
teria & priuatio eadẽ numero res est, pri-
uatio vt est principium , ita est internum,
ortui per se,rei per accidens,ortui quia ip
sa mutatio est per se ab hoc ad hoc, rei au-
tem quia est idem cum materia,quæ est in
terna rei,quanquam non eadem ratione,
alia enim ratione est idem cum priuatio-
ne, alia est interna rei.Principia contraria
esse,non ita dicit Aristo.quòd sint propriè
contraria,neque enim sunt accidentia ne-
que dici possunt secundum magis & mi-
nus,sed quòd vtcunque,affirmatione scili
cet aut negatione dicta,quomodo constat
formam & priuationem esse cõtraria. Ne
que verò eò dixit Aristoteles principia es-
se contraria , quòd omnia sint contraria,
sed quòd in principiis sint contraria aliqua *Respõdet argumẽt.*
Quare primò argumento facile responde
tur in tribus principiis duo tantum esse cõ
traria quare non nisi vnum vni.Sed & se-
cundo,nam causæ omnes sunt principia,
non tamen interna nisi hæc. Elemẽta om-
nia sunt principia.Tamen non prima,quia
illorum etiam quodcunq; fit ex tribus his
principiis,non minus quam alia corpora.
Principii verò non esse aliud principium
Aristo,capit.6.dicit, id quod de principiis
primis venit intelligendum. Quod verò di
xit principia semper oportet manere, de
principiis rei naturalis intelligitur,quæ tã
tum sunt duo,non etiam de principiis or-
tus quæ sunt tria . Manent enim principia
omnia semper cum re cuius sunt principia
materia quidem & forma cum re naturali
materia & forma & priuatio cum ipso or-
tu.Non possunt enim abesse hic tria ab ip-
so ortu.Iam verò cum dicit Aristote. prin
cipium non vt in aliquo subiecto dici o-
portet,& rursum . Quo pacto ergo ex iis
quę non sunt subantia substantia fiet?Hęc
non dicit affirmans,sed argumentorũ cau
sa. Sed quia argumentatur contra eam as
sertionem,quam veram esse censet , cõtra
hanc scilicet,principia esse contraria noste
nemur respondere. Concedimus princi-

pium non debere esse accidens, quia ante principium esset substantia illa cui inesset, quare illa substantia esset prior principiis rerum naturalium, alia autem ratione dicitur priuatio in materia, & forma in materia, neutrum enim propriè vt accidēs, quā quam priuatio aliquanto similior est accidenti. Sed cum materia substantia non sit, neque priuatio sit propriè accidens. Sed hæc mox sequentibus controuersiis explicabuntur, atque reliqua quæ ad intelligendam horum principiorum naturam faciūt. Vbi dixit contraria non fieri ex se mutuo, intelligit nō fieri contrarium ex contrario vt ex eo quod manet, velut album ex homine, fieri tamen vt ex eo quod nō manet, velut album ex nigro. Explicat hęc multis idē Aristo. cap. 7. nosque in commentariis explicuimus.

An materia careat omni actu, sitq; pura potentia.

MAteriam primam carere omni actu docet Aristo. cap. 7. atque proinde ꝑ se incognoscibilem, cognosci autem posse tantummodo analogia aliarū materierum, quæ formas aliquas habeāt, cuiusmodi sunt in rebus arte factis. Plato prætrea disertissimè idē docet in timeo, est vero perse evidēs, & si nullus doceat, si enim actū aliquē habet, resolui poterit in actū illū, & id cuius ille actus sit, qure illius materiæ erit alia materia, nō ergo erat prima, & idem argumētum redibit, quæcūq; alia detur, eritq; ꝓcessus infinitus in resulitione, aut per venietur ad aliquam materiā, quæ per se nullum actum habeat, sitq; mera potentia. Atq; illa erit materia prima. Sed cōtra est, ꝙ Aristo. cap. 6. dixit. Quo pacto ergo ex iis quæ non sunt substātiæ substantia fiet? insinuat enim fieri non posse quin ea ex quibus fit substantia, substātię sint. Si autem materia est subtantia, formam & actum habet. Præterea cap. 9. dicit materiā ꝓpriè ac quodāmodo substātiā esse. Si autem nullum omninò actum haberet, profecto non magis videretur accedere ad substātiam, quam priuatio. Præterea cap. 7. ita scripsit. Est autē id quod subiicitur numero quidē vnum, specie autē duo. Homo enim & aurū, atq; vniuersim materia numerari potest, hoc enim aliquid præcipuè est. Hæc Aristo. sed si materia est hoc aliquid,

Argumēta contraria.

est substātia quędā, quare habet spetiē & actum præterea Plato in timeo dicit materiā esse locum & receptaculū formarum: sed continere, vt dicit Aristo. capit. 7. tertii de physica doctrina, est formæ & actus, nō est ergo materia expers omnis actus. Pręterea disputatur probabiliter, an possit deus ponere materiam præter omnes formas, si autem nulla ratio aut forma illius esset perse, non videretur futura probabilis quæstio. Quia qua ratione possit vel intelligi esse ens, quod non est aliquod ens, magis quā homo qui non sit aliquis homo? Si autē poneretur materia sola, esset, quare esset ens, & aliquod ens. Ergo rationem aliquam entis & actū haberet. si ergo probabile est posse esse materiā sine forma, particeps est alicuius actus. Accedit quod vix videtur res aliqua intelligi posse cui nullus actus sit, nisi sit res imaginaria. Materiam verò re vera oportet existere subiectam formis. Præterea aut non est materia atq; ita sunt duo, tantū principia forma & priuatio, aut si est, est actu aut potentia, sed potentia non est. Nam quod est potentia aliquid, est, aut quia potest fieri illud, velut æs est potentia statua quia potest esse, vel quia fit, vt certamen & dies (docet Aristo. 3. de physica doctrina, cap. 7.) sed materia nihil fit aut esse potest. (Materia enim, neque fit neque esse potest, forma, aut corpus naturale, aut quantum, aut quale, est ergo actu aliquid. Tam difficile est, intelligere materiam aliquam que nulla substantia sit, vt physici fere omnes antiqui, substantiam quandam irresolubilem, sine ortu aut interitu, recipientem mutationes omnes statuerint, quidam finitam quidam infinitam. Eam quidam dicebant ignem, quidanm aērem, quidam aquam, quidam substantiam mediam, vel aēris & ignis, vel aēris & aquæ, quidam etiam terram, quidam præter hæc omnia substantiam quandam aliā sine nomine, his priorem. Plato vero & Aristo. verius putauerūt, naturaliū corporūprincipia priora esse oīb⁹ corporib⁹. Quare nulla corpora esse, neq; oīno res aliquas. Nō enim sint substātię, cū sint substātiarū principia, neq; accidētia, quia non essent priora substātiis. Quid ergo sunt? substātiarū principia. Forma nulla res est sed actus rei, materia tm̄ materia. Proīde Plato materiā vocauit simpliciter nō ens nō tn̄ nihil quia ꝙ nihil neq; ens neq; entis principiū esse pōt

Aristo.

Aristo. placuit dicere non esse simpliciter
nō ens quia ita fortasse esset nihil, sed quo
dam modo ens. Rem certè eandem dicũt
sed mihi videtur (vt in commentariis noni
capitis dixi) Plato dixisse exactius, distin-
guẽs quod nihil, & quod simpliciter non,
ens. Velut enim qui est candidus secundũ
dentes, est simpliciter niger. Non tamen
nullatenus candidus, sed quodammodo
etiam candidus, ita quod quodammodo
ens, potest esse simpliciter non ens. Itaque
ambo philosophi statuunt, & si eisdem ver
bis vti nollint, materiam simpliciter nullũ
ens esse, sed si ita est quo pacto cognosci po
test, & diffiniri? Nam quatenus res quæuis
est, eatenus cognosci potest; si ergo perse
nulla res est, nullatenus est perse cognosci
bilis. Certe ita est, materia incognoscibi-
lis est, quia perse speciem non habet, vt di
citur cap. 7. lib. 3. de physica doctrina; sed
cognoscitur & diffinitur: secũdũ analogiã,
vt dicitur cap. 7. primi, nō quidẽ, vt barba
ri interpretantur secundum analogiam cũ
forma (hoc enim ridiculum est, & falsum.
Quam enim analogiam habet materia cũ
forma? Nihil est aliud analogia quam simi
litudo) sed vt in commentariis illius loci
diximus materia prima quia nullam habet
speciem & per se cognosci non potest, co-
gnoscitur per similitudinem cum ea quæ
speciem aliquam habet, cùm secunda scili
cet. Neque verò per similitudinem cũ qua
cunque materia, speciem perse habente, cõ
gnoscitur æque, sed maximè cum materia
arte constantium, huius causa est quia & si
cum omni re, quæ speciei alicui seu formæ
subiecta est, similitudinem aliquam habet
materia prima, tamen cum materia rerum
artificialium longe maximam quia subie-
cta videntur esse posse, aut formis substan
tiarum, aut accidentibus, aut formis rerũ
artificialium, quod subiectum est formis
substantiarũ est materia de qua loquimur.
hęc verò illud habet commune cum mate
ria rerum artificialium, quòd in vtrisque
dicitur fieri ex hoc hoc, & nō hoc fieri hoc
velut ex materia homo fit, non fit materia
homo, & ex ære fit statua, non fit ęs statua.
Tamen in subiectis accidentium contra.
hoc dicitur fieri hoc, non ex hoc hoc. Fit e
nim homo musicus, non fit ex homine mu
sicum. Docetur hoc. cap. 7. primi. Est ergo
materia prima in potentia, non vt sit, sed
vt recipiat formam, velut est ęs in potẽtia,
non vt fiat statua, sed vt ex eo fiat statua.
Quare non dicemus materiam esse poten
tia aliquid, sed simpliciter, esse nō ens, vel
quodam modo ens quodammodo nō ens
in potentia autem vt ex ea fiat ens natura
le quodcunque. Atqui diffinitio materiæ
qua vtitur Aristo. per eandem analogiam
data est. Nã illud subiectum primum, nō
aliter explicatur, quàm quo ad actum pri-
mum, hoc est formam substantiæ, habens,
vt. ęs ad statuã. Proinde materia, quid quid
est, incorruptibilis & in generabilis est. *Propriũ*
Quia si resolui posset, alia esset illius mate *materię.*
ria. Quæ ergo est prima, sine ortu & in teri
tu est. Neque his est aduersum quod. 7. me
tha. cap. 7. dicitur. Cuncta verò quæ aut na
tura aut arte fiunt habent materiam, possi
bile enim est esse & non esse eorum vnum
quodq;, hoc autem cuique materia. Non
enim hoc est dicere materiam oriri & in te
rire, sed probat arte aut natura facta habe-
re materiam, quia in vtrisque est quod po-
tuit esse & non esse illud quod factum est,
illud uero esse materiam. Velut lignum po
tuit esse & non esse mensa, & semen huma *Propriũ*
num corpus. Est etiam perse eadem in om *aliud*
nibus rebus, quia non habet spetiem qua
differat. Si enim haberet principiũ aliquod
differendi, illud esset species aliqua. Est præ
terea perse infinita. Nam materia finitur *aliud*
& continetur ab spetie. Quo fit vt ex eadẽ
portione materiæ primæ possit fieri res cu-
iuscunque magnitudinis, neque maior de-
sideraretur ad magnam quam ad exiguam.
Nam cũ materia nullius, aut infinitæ mag
nitudinis sit, modum & finem accipit quẽ
cumque speties aut forma præbet. Hoc in
sinuat Aristo. cap. 7. tertii. Mihi vero id est
euidens, quia si tãta materia in tãtum cor-
pus insumeretur, & ad tantum corpus mi
nor non esset satis, & ad tantum tanta re-
dundaret, profecto per se haberet magni-
tudinem aliquam certam, quare aliquem
actum. Nullum tamen habet, atqui profe
cto nisi hoc intelligas, non possis intellige-
re resurrectionem mortuorum. Videbitur
enim materia fortasse desiderari, atq; mul
tis fortasse eadem numero materia videbi
tur esse communis, vt si quis alterius carni
bus nutritus sit. Cuius ergo erit? certè vtri
usque eadem, quin & omnium eadem, &
plurium generationi sufficiẽs, & natis pau
cioribus nō redundans, quia perse infinita
est, finitur autem ab spetie. Quare quam-
quam

Nõ posse materiã sine forma esse. quam quidam dicant, nõ intelligo quo pacto posit hæc sine forma esse, erit enim alicubi, & aliquanta, indefinitum enim per se etsi intelligi posit, non potest autem existere, nisi definitum, velut quantum non potest esse quin sit aliquantum. Si verò erit alicubi & quantum, erit corpus, quare mobile, & ens naturale. Non ergo erit prima materia, contradictionem ergo continet esse materiam primam, & existere per se, ponere ergo, posse Deum illud facere debilitatis mẽtis est. Quid enim faciet? Nõ ens simpliciter, esse ens per se, sed neq; formam potest sine materia. Nam vt docet Aristo. cap. 2. lib. 2. forma se habet ad materiam vt simitas ad nasum, vt ergo non potest Deus simitatem ponere pręter nasum quia nasus est in diffinitione simi, ita neq; formam aliquam sine materia, præter animum nostrum, qui vt Aristote. docet. 3. capi. secundi de generatione animalium extrinsecus accedit, & de potentia materiæ non educitur. Quare non est tantum forma, sed habet per sese substantiam, qua potest solus subsistere. Ita si esset aliqua materia quæ non esset tantum materia, illa quidem posset à formis omnibus separari, sed cum vnica sit indefinita nullam habẽs speciem, sed tantum materia, & potẽtia, constat non posse. Neque proinde fit vt non posit accidens à substantia separari. Nam vt diximus capite de toto, & partibus ex materia & forma magis vnum fit quam ex substantia & accidenti: magis ergo separari posint hæc, quam illa. Argumentantur prætereà res omnes quæ differunt numero posse deum seorsum ponere, differre autem numero materiam & formam. Ego responderim quascumque res numero diuersas posse Deum seorsum ponere, has verò non esse res numero diuersas, nam nères quidem, sed principia rerum, esse verò per se non potest accidere nisi enti per se, hæc autem non sunt entia, sed principia entium. Materia itaque nullam habet speciem, frustra ergo quæritur, an habeat per se vim aliquam agendi. Nam si quiduis mouet quatenus est in actu, quod per se nullũ actum habet, nullam vim habeat agendi. Quodsi in materia facile est formam gignere, quæ sine ea ne à deo quidem videtur gigni posse, id quidem non est quòd vim habeat aliquid faciendi, sed quòd sit causa necessaria vt cap. 9. 2. Aristote. docuit, & nos in commentariis explicuimus. Velut nasus nullatenus facit simitatem, non posit tamen simitas sine naso fieri. Itaque materia nullam speciem habet. Argumentis facile est his dictis respondere. Nam cum Aristote. cap. 6. dixit quo pacto ergo ex iis quæ non sunt substantia substantia fiet? Insinuãs principia esse substãtias, disputãs dicit, & argumenta in partem contrariam ponens, suam verò sententiã aperuit mox capitibus sequentibus. Iam verò cum capite nono dicit materiam prope ac quodam modo esse substantiam, dixit cõferens materiam cum priuatione, quam ipse concedit esse simpliciter non ens, materiam verò esse quodam modo ens, atqui priuatio illud suum esse quodcumque est analogum habet cum accidenti, quia materiæ accidit materia verò suum esse habet analogum cum substantia, quia substat formis, quomodo docet Aristote. 7. cap. materiam esse hoc aliquid, in commentariis explicuimus velut etiam in comm. cap. 7. lib. 3. explicuimus, quo pacto dicat Plato materiam esse locum. Iam verò disputare an posit materia esse sine forma, diximus esse debilitatem mentis, non capientis naturam principii primi. Nam difficile est capere, ac, vt inde verè dicitur in alia obiectione, vix videri quo pacto sit res aliqua sine omni actu, nisi sit imaginaria. Nos verò dicimus rem aliquam sine actu non tantum vix intelligi, sed omninò continere repugnantiam: materiam verò non esse rem, sed rei principium. Si autem intelligitur vt res quædam est res imaginaria, principium autem verum. Vltimo argumento respondetur materiam neque actu neq; potẽtia esse aliqđ ens, quia neque est neque fieri potest, aliquod ens, sed in alio, in toto scilicet, actu est principium, per se autem nihil habet præter potentiam, non fiendi aliquid, sed vt ex ea aliquid fiat, velut æs potentia est statua, non quòd statua fieri potest, sed ꝙ ex eo potest statua fieri.

Materiã nõ habere vim aliquã agẽ. *Respondetur. Argumẽtis.*

An forma educatur de potentia materiæ. 8

MIrum est vt se excrucient enarratores vulgares, quo explicent illud vulgatisimum apud illos, formas omnès educi de potẽtia materiæ præter rationalem

nalem rem precipuè, vt mihi videtur, non obscurè ab Aristotel. explicatam, eo loco vnde illi accipiunt, capite inquam. 3. secundi de generatione animalium, vbi pòst multa alia ita scripsit. Itaque extrinsecus ea venire de reliquis formis præter mentem dici impossibile est. Neque enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint, neque cum corpore. Semen enim excrementum alimenti mutati est. Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit. Nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. En. Aristot. dicit mentem extrinsecus accedere, reliquas verò formas intrinsecus fieri, & educi de potentia ipsius materiæ. Obiiciunt tamen cum nihil formarum in ipsa materia sit, non videri posse educi. Quid enim educi potest nisi quod interius est? Non esse autem in ipsa materia aliquem actum, monstratum est proximo capite. Tam difficile visum est plerisque, formam cuius nihil in materia sit denuo fieri, vt antiquorum maxima pars, veram generationis rationem non capientes, in quasdam falsas & peregrinas sententias inciderint, dicentes, alii totam hanc rerum vniuersitatem conflatam esse ex corpusculiis, in commutabilibus, nihil secundum suam substantiam accipientibus, sed variè congredietibus: alii omnia homiomera commista esse, rem verò quamcumque fieri separatione, & quãcumque dici hoc aut illud ab eo quod magis emineat. Neotericorum etiam multi dicunt alii, esse in materia quasdam inchoationes formarum, hoc est quædam velut initia formarum, aut vt delineationes quasdam primas, generationes verò fieri his delineationibus perficiendis. Hi omnes facile respondebunt. Primi enim tollunt ortum & interitum, alii educi de potẽtia materiæ dicunt, esse quę latebant extrahi, aut quę inchoata erant perfici. Si autem nihil est in materia præter ipsam materiam, difficile esse videtur dictu, qua ratione fieri possit forma videtur enim fieri ex nihilo, forma enim non fit ex materia, nihil autẽ præter materiam præerat, sed ex nihilo nihil fieri omnium philosophorum consensio est. Non esse in materia prima per se quidquam præter ipsam materiam, satis arbitror monstratum iam est, quo pacto educatur quæ non præerat superest dicamus. Quidam dicunt, illud educi de materia, esse materiam disponi vt recipiat formam, quibus alii obiiciunt, hac ratione animum quoque rationalem educi, quia non fit antequã materia disponatur. Alii proinde, dicunt formam educi de potentia materiæ, esse, fieri eam formam actu, quæ potentia inerat. Sed hac quoque ratione, obiiciunt alii, educeretur de potentia materiæ animus rationalis. Nam potentia est in materia, quod materia recipere potest, potest autem materia animum recipere, quandoquidem eum recipit. Alii dicunt, & si neq; inchoatio, neque homogenea, neque quidquam aliud sit in materia, esse tamen in ea possibilitates omnium formarum, fieri verò in actu, de possibilitatibus actualitates. Hos ego non possum non irridere, quia non alia ratione, quàm quod deterius dicunt, putant se aliud dixisse, quàm si dicerent, esse, formas potentia prius fieri deinde actu. Quid ergo est quod nos dicimus? Certè quod Aristotel. loco citato, formas omnes esse prius potentia deinde actu fieri. Mentem verò solam extrinsecus accedere. Itaque educi formas de potentia materiæ. Est nihil aliud, quàm fieri actu eam formam, quæ erat prius potentia. Potentia autem est multiplex, nam vt Aristotel. docet nono methaphy. cap. 7. potest esse remota aut proxima. Remota quidem quodcunq; est quodcumque, quia quodcumque potest fieri quodcumque, proxima nõ ita, sed quod vnica commutatione fieri potest. Estque hoc hoc, vt semen est potentia fœtus, atque in his sunt multi gradus, quanto enim substantia aliqua ad aliam accedit propius, tanto prior est potentia, velut sanguis magis est potentia caro quam chylus, & chylus magis quàm panis, panis autem magis quàm terra, aut aqua. Rursum quia potentiæ passiuæ respondet semper aliqua actiua. Si actiua naturalis est, passiua quoque est naturalis, sin autem maior naturali, potentia est minor. Nam quo maiori agente est opus, eo est potentia minor. Educi de potentia materiæ est fieri actu eã quæ præerat potentia naturali, materia de potentia ad actum sensim procedente, omnes autem formæ præter rationalem ita educuntur, quia fiunt actu, & erant prius potentia, id est poterant esse, inerant autẽ potentia naturali, quia poterant fieri actu vi agentis naturalis, velut ignis forma fit vi ignis, animus autem humanus non inerat

Obiectio.

Aliorum sententiæ

rat in materia potentia naturali, neque enim habebat materia naturalem potentiã recipiendi eum. A nullo enim naturali agẽte poterat recipere. Habebat autem potentiam simpliciter, minorem autem quam naturalem, quia non est satis, naturale aliquod agens, vt eam in actum ducat, sed opus est deo creante. Atqui ne Deus. Quidem cum creat, educit nostrum animum de potentia illa minori naturali. Nõ enim facit animum disponendo materiam (hoc enim naturales causæ agunt) & adducendo illam ad maiorem & maiorem potentiam, sed perse illum facit, (perse enim habet substantiam qua potest separatus subsistere) deinde facit esse actum. Quare animus prius natura est res quædam, quàm actus. Aliarum verò formarum, nulla est quidquam. Præter quam actus. Dices fortasse (vt hoc quoque obiter dicamus) si hęc docet Aristo. loco citato ex. 2. de generatione animalium haud dubiè censuit animos nostros esse immortales. Ego quidem non dum scio. Nam illo capite præter animum alentem & sentientem & intelligentem, quos de potentia materiæ educi dixit. Meminit mentis quam dicit extrinsecus accedere. Haud scio. An vt Auerrois intellexit eundem in omnibus. Verum redeamus ad rem. Non ita dicimus educi quasi quod interius latet extrahatur. Neque id ego apud Aristo. inueni, sed quasi fieri actu quod potentia erat. Hoc autem vt fit, non opus est vt actus quispiam inesset, neque proinde fit forma ex nihilo. Neque enim forma fit, sed res fit hac forma. Cum enim forma fit, nulla res fit, sed rei actus. Res fit suo actu. Actus verò non fit nisi per accidens, solus animus noster fit ex nihilo. quia enim non est tãtum acidens, sed res etiam perse quædam, fit perse non minus quam homo, fit autem ex nihilo. Atqui hęc est asidua quotidiana, quæ creatio, singulare opus dei optimi. Maximi quod quia assequi philosophi non poterant, videbant autem animũ nostrum aliquid esse præter actus, quia cũ quibusdam eius actionibus nihil communicat actio corporalis, commenti sunt, alii palinginesiam, alii reditum magni anni. Aristoteles de hac re tacuit, creationem verò putare Aristote. somniasse, eorum hominum est, qui quæ nesciunt sciunt, disputatio longior de creatione alium habet locum.

An animus noster sit immortalis.

An posſint esse multæ formæ in eadem materia.

Argumenta.

Forma est quæ tribuit rei esse id quod est, si ergo duæ formæ inessent in materia, vnum esset multa, neque solum vnum numero essent multa ratione (hoc. n. ita euenit) sed vnum numero esset multa numero, quod repugnantiam continet. Id verò ita fieri constat, nam si materia est vnica, & principium quod vocant indiuiduationis est materia, erit numero res vna: si autem duæ sunt formæ, pertinebit illud vnum ad duas rerũ species, & in vtraque erit vnum singulare. Erunt ergo duo singularia facientia numerum. Rursum si duæ formę inessent eidem. Ita vt altera alteri superueniret, & non inessent æque primò, fieret vt vltima forma superueniret enti iam actu, quia prior cùm sit forma substantiæ, fecerit substantiam. Posterior ergo non fecerit esse simpliciter, erat enim verè antea. Sed esset hoc aut tale: erit ergo accidens, non forma substantiæ. Prætereà non esset omnis interitus resolutio vsq; ad materiam primam. Quod Aristote. 1. de ortu & interitu affirmauit, quia posset interire vna forma manente alia. Alia ex parte videtur oportere, multas formas inesse simul eidem. Primò quia multa videntur accidere rebus, quæ non possunt nasci à forma vltima, materia autem cùm nullũ actũ per se habeat. Nullũ potest dare, quare necesse sit aliam substantiæ formã tribuere. Velut homini accidit esse magno, quod nõ videtur posse illi tribuere vltima hominis forma, cum sit impartibilis omninò. Deinde quia si vnicus actus substãtiæ cuiusque esset, nulla materia esset in substantiis præter primam, primam autem nihil cõferre ad naturam constat, cùm sit eadem omnibus, ergo nulla materia faceret ad naturas rerum, neque esset cuiuis formæ sua materia, sed vna omnibus. Quorum vtrumque affirmauit Aristote. capi. 1. 2. de physica doctrina. Deinde multa accidentia manent, cùm aliquid ex aliquo fit, vt cùm ex homine cadauer. Quanquam ergo homo interierit, mansit aliqua alia substantia, in qua illa accidentia seruarentur. Neque enim possunt subiectum mutare, neque alii inesse quàm substantiæ. Quidam his argumentis non multum per mouentur, putãtes

Cõtraria argumẽta

tes accidentia corporalia inesse materiæ
primæ, atque etsi materiæ primæ insint, ta
men appellationem tribuere toti, vocant
que hoc, esse in materia inhesiuè, & in to-
to denominatiuè. Atque quòd Aristot. di-
cit, accidentia superuenire enti actu, hac sò
lum ratione verum esse, quòd accidens nõ
inest materiæ nisi habenti formam substan
tiæ. Cæterum hac ratione nihil interesset,
inter formam substantiæ & accidentia.
Nam vt non accidit accidens materiæ, nisi
habenti formam, ita neque forma materię
inest, nisi habenti accidentia. Non enim ac
cidit imparatæ. Porrò probabilissimum est
(disputabitur hoc exactius alio loco) for-
mas omnes ei tribuere appellationem præ
cipuè, cui primò insint: secundariam autẽ
alii. Velut siquis dicitur candidus, quia cu
tem habet cãdidam, primò est candida cu-
tis, & per hanc homo. Esset ergo materia
tanta & talis præcipuè, per eam autem res
Forma cor quæcumque. Proinde quidam alii, præter
poreitatis proprias singulorum formas, ponunt cõ-
munem quandam, quàm vocant formam
corporeitatis, incorruptibilem & ingenera
bilem, manentem semper cum materia, &
hanc tribuere materiæ, ac per eam rei cui-
uis, esse magnam, & per hanc transmitte-
re accidentia corporea, cum aliquid ex ali-
quo generatur. Cæterum qui hoc asserunt
videntur mihi ignorare propriam vocem
nam ponere formam incorruptibilem in
materia, non est aliud, quam affirmare ma
teriam primam esse substantiam quãdam,
ac verè ens. Nam illud est materia prima,
quod in resolutione est vltimum, & vltra
quod non potest resolutio procedere. Sed
incommutabile perse existens, omnes reci
pit mutationes. Huiusmodi autem erit, nõ
cui inerit forma corporeitatis, sed ipsa sub
stantia corporea. Hæc ergo opinio non de
bet ponere principia aliqua illius substan-
tiæ. Sed illam esse principium & primam
materiã omnium. Estque hęc, opinio illa,
antiquata, quam Aristote. tetigit & refuta
uit: 4. cap. 1. de physi. doct. dicentium prin
cipium rerum omnium esse substantiam
quandam incommutabilem. Si ergo rectè
monstratum est materiam carere omni a-
ctu, constat hanc sententiam esse falsam.
Neque enim satis sit si dicas formam illam
corporeitatis non esse partem materię, sed
inesse materię. Nam non solum probaui-
mus materiam non esse formam, neq; ma
teriam non constare ex materia & forma,
(hoc enim quorsum probaremus?) Sed il-
lud, in quod vltimo finitur resolutio, non
habere actum aliquem, cum quo semper
& necessariò coniunctum sit. Sed actus o-
mnes posse accipere & deponere. Quia si
vnum aliquem haberet coniunctum neces
sariò (cur enim grauabor repetere?) Nõ pos
set ad reliquos actus habere ęqualem prõ-
ptitudinem. Nam actus ille necessariò ha-
beret cum quibusdam aliorum simpathiã,
cum quibusdam antipathiam, aut saltem
cum quibusdam maiorem quàm cum aliis
analogiam. Quod siquis dicat, illam formã
corporeitatis nõ tribuere materię esse hoc
corpus, sed tantum esse corpus, ac proin-
de non facere substantiam vnam quandã.
Certè aut illa forma erit forma substantię
aut quoddam accidens, si forma substan-
tię, fit vt possit esse forma generis diuersa
à formis specierum, quare vera iam erit
sententia Auicembron ponentis tot nu- *Auicem-*
mero esse in re quacunque formas, quot at *bron.*
tributa quibus dicatur quale quid. Velut es
se aliam, qua ego sim homo, aliam qua ani
mal, aliam qua viuens, aliam qua corpus,
aliam qua substantia. Si enim vna quędam
forma generis esse potest, certè & quęcun
que possit, & sententia Auicembron nihil
habet absurdi, & facit omnia facilius. Si
autem forma illa corporeitatis non est for
ma substantię, neque facit esse hoc corpus
sed corpus, quid aliud est forma corporei-
tatis, quam dimensiones interminatę, quas
in materia ponebat Auerrous? Cum ergo *Auerro.*
opinio de forma corporeitatis in aliquam
illarum incidat, si duę illę merito putãtur
falsę, hęc quoque putari debet, superest er
go probare eas esse falsas, & in primis quę
ponit dimensiones interminatas, deinde
quę formas generum. Si dimensiones es-
sent in materia, ea esset perse quanta, ergo
aliquod accidens inesset primę materię.
Hoc verò est falsum, quia non potest esse
ens aliquid quod omninò non est ens, ma-
teria verò non est simpliciter ens, ergo nõ
potest esse perse ens aliquid. Nam ens ali-
quid superuenit enti, vt forma materię, vt
autem sit ens accipit à forma substantię, vt
sit ens aliquid à formis accidentibus. Ergo
materia non potest accipere formam acci-
dẽtem, neque arte factam, nisi facta prius
sit substantia, & ens. Omnia ergo acciden
tia superueniunt substantię, & magnitudi
nem

nem habet materia, vt omnia alia, potentia scilicet & non actu. Vnde fit (vt antea quoque dicebamus) vt per se eadem materia prima posit sufficere generationi quotcunque corporum, & quantorumcunque. Nam materia nullam magnitudinem habet actu, potentia habet quamcumq;. Porrò forma generis non potest esse in materia. Nam quidquid est in materia est hoc & singulare. Singularia autem necessariò sunt in aliqua specie, ea ergo forma speciei erit. Nam si est in homine forma hominis, & forma animalis, atque hæ non sunt eadem numerò, pone tollere deum formam hominis relicta forma animalis, illud erit animal non separatum à materia, ergo singulare animal. Et neque homo, neq; ęquus neque canis, neque alicuius alterius speciei nam si est alicuius, illius speciei erit forma, non generis. Sed ponitur esse generis, erit ergo aliquod animal. Et nullum animal. Quod si neges esse singulare. Multo magis absurdum aliquod vniuersale constare materia. Ergo præter formas specierum non sunt formæ generum. Quare neque sunt in quouis tot formæ, quot attributa, neq; est forma corporis communis. Videtur ergo non posse fieri vt sint multæ formæ in eadem materia. Sed hoc nondum constat neque constare potest, nisi videamus quot modis sint multæ formæ eidem. Certè possunt multæ formę eidem rei inesse secundum idem & æque primò, aut neque secũdum idem neque æque primò, aut secundum idem sed non æque primò, aut æque primò, sed non secundum idem. Secũdum idem ęque primò, vt lacti accidunt candor & dulcedo, nam cui inest alterum, inest vtrumque, & neutrum est neque natura, neque tempore prius altero: neque secundum idem neque æque primò, velut homini accidunt surditas & obmutescentia surdus enim est secundum aures, mutus secundum linguam. Et surditas est prior quia est causa obmutescentiæ: secundum idem sed non æque primò, velut secundum idem accidit igni tenuitas & leuitas, tamen tenuitas prior est, si est leuis quia tenuis: ęque primò sed non secundum idem velut si quis sit à primò ortu cæcus & claudus, alterum enim insit secundum oculos alterum secundum crus, & neutrum sit alterius causa. Forma substantiæ posit vna esse prior alia, vel quòd non insint eidem velut si forma carnis est in materia prima, animus in carnib⁹ & ossibus: vel quod etsi eidem insint, tamen vna sit altera natura prior, idque aut quia est magis vniuersalis, vt ratio corporis, prior est ratione animalis, & ratio animalis quã hominis, aut quia est gradus alicuius inferioris, velut si in homine sit forma alens, & sentiens & rationalis. Alens sit prior quia inferior, deinde sentiens, vltima rationalis quia perfectissima. Omnia auem eunt ab imperfectioribus ad perfectiora. Eidem materiæ secundum idem & æque primò, nõ possunt multæ formæ substantiales inesse: nam fieret quod in initio disputationis dicebatur esset scilicet idẽ numero & multa numerò Velut si eadem numero substantia esset, caro & os & neruus. Quare fit vt falsa etiam sit assertio Auicenæ ponentis elementa retinere proprias formas in concretis corporibus. *Elementorũ formæ.* Cùm enim multa cõcreta sint omogenea vt caro, fit vt quæuis illius pars habeat formam totius, & vt quæcunque materia habet formam elemẽti habeat simul formam concreti, atque si formam concreti, vt & formas quatuor elemẽtorum, quare eidem secundum idem inerunt forma ignis, aeris, aquæ terrę & carnis. Atq; etsi forma cõcreti posterior erit natura formis elementorum, tamen ipsę elementorum formæ inerunt ęque primò. Quare eadem substantia erit aqua & ignis, ęque vtrumque. Quidam vt hoc effugiant, dicunt formas elementorum nõ esse verè formas substantiarum, sed velud quoddã genus formarum inter formas substantiæ & formas accidentis, ac proinde intensionem recipere & remissionem & fieri vt quod formas omnium remissas habet, nullum illorũ sit, sed concretum tantum. Velut qđ calorem & frigus ęque habet, neq; calidum est neq; frigidum. Gal. videtur dicere elementa nõ habere essentias ex formis aliquibus substantiæ, sed ex materia prima & primis qualitatibus. *Galenus.* Hos refutare non est modo ad rẽ sed eos qui simul ponunt elementorũ esse veras formas, & eas manere in concretis, quia si qua est forma concreti occupans totam materiã, fit vt sint multę formæ substãtiarum in eadem secundum idẽ æque primò, quod refutauimus. Porrò eidẽ sed nõ æque primò inesse multæ formę substantiarum, eò ꝙ vna sit quam alia magis communis, non possunt, siquidem monstratũ est,

non

non posse esse in materia aliqua forma generum præter formas specierum. Verum multas formas specierum inesse eidem nõ secundum idem, aut secundum idem sed nõ æque primò, eò quòd vna sit perfectior altera, & imperfectior potentia habeat perfectionem, nihil cõtinet absurdum aut impossibile. Velut siquis dicat in rebus eterogeneis homogenerum formas inesse materiæ primæ, formas verò eterogeneorum inesse homogeneis, & homogenea esse materiam secundam eterogeneorum: velut ossa differre forma à carne, carnes autẽ & ossa esse materiam animorum: aut etiã addat in homine esse plures animos alẽtem, sentientem, & rationalem, & hos omnes inesse carnibus, & ossibus, sed non æque primò (natura saltem) eo quòd alens velud dispositio quædam sit materiæ, ad capiendum sentientem, & sentiens ad rationẽ. Et inferior velut imperfectior quidam actus, sit in potentia ad perfectiorem. Qui inquam ita dicet, nihil dicet repugnans veris, neque placitis Aristotelis, & argumentis ab vtraque parte propositis omnium optimè faciet satis, quia non fiet vt vnum sit multa. Nam appellatio cuiusque capietur ab vltima forma, & nihil erit aliud quã, illud quæ continebit alia eminenter. Velut homo nihil erit nisi homo. Ratio enim hominis continebit alia omnia, vt sit scilicet sentiens, & nutriatur, & carnem & ossa habeat. Quod si resoluas in appellationes, quas tribuunt diuersæ illæ formæ, nõ erunt repugnantes, quia aliæ sunt in aliis potentia. Est enim homo rationalis & sentiens & nutritur: neque alterum est alterius generis (quominus putentur ponere formas generum) nam intelligere non est sentire, neque sentire est ali, velut homo est corpus, sed sunt diuersi gradus viuentium. Quare quia gradus propriè dicuntur alius ad alium gradus est. Neque hinc fit vt forma superueniat enti in actu, nã qđ est in potentia nondum est in actu perfecto. Neque verò quia est in actu quodam, & hoc aliquid (nam embrio hoc & quodam vegetatiuum est, vt quædam planta) proinde forma posterior quæ superuenit, facit quale aut ens hoc, sed esse, & perfectius quodam hoc aliquid, vt hunc hominem ex hac planta. Neque hinc fit vt resolutio non sit vsque ad materiam primam, cum est integra, cùm scilicet homo totus corrumpitur, & omnes in eo partes, tunc enim in cineres abit, & nihil præter primã materiam manet, quod in corrupto homine fuerit. Gradatim autem fieri resolutionem, si gradatim facta est generatio, quid impedit? Huic sententiæ nõ deerunt actus qui tribuant rei, quæcunque ei insunt. Nã etsi rationalis animus, qui omninò est impartibilis, non possit tribuere homini magnitudinem, tribuent tamen formæ homogeneorum, vt carnis & ossium: atque adeò forma cadaueris nihil fuerit præter formas homogenerum, atque seruator noster in morte nullam formam acceperit, quam deposuerit (vt hoc quoque dicatur propter theologos) in resurrectione, sed deposuerit in morte animum, & in resurrectione resumpserit ossa & carnem. Præterea iusta hanc sententiam facile quis intelliget, quo pacto accidentia, etsi substantiæ insint, maneant pòst interitum. Nam quæ insunt per se homini omnia delentur, quæ per partes homogeneôrum vt color calor & cicatrices, manent, quia manẽt homogenea, quibus insunt, hæc cũ intereũt, vt cùm abeunt in cineres, nihil manet. Porrò materiam secundam melius ex hac sententia quàm ex aliqua alia intelliges. Nam homogenea sunt secunda materia eterogeneorum. Ergo indicauimus non omninò repugnare duas aut etiam plures formas esse in eodem. An verò poni debeant dicetur dante deo partim in disputatione de ortu & interitu, partim in disputatione de animo. Nom enim vt ponantur, satis est indicasse poni posse citra absurditatem, nisi etiam indicetur esse necessarium. Itaq; hîc hoc nobis sit monstratum, sitque finis huius capitis, si tantillum de secunda materia addiderimus. Non satis videtur, vt distinguatur secunda à prima, dicere homogenea esse meteriam eterogeneorum. Nam ipsa etiam homogenea habent secundam materiam. Aurum & argentum & reliqua metalla dicimus habere naturã aqueam, id verò dicitur ad materiam, quia scilicet concrescente aqua conflata sunt. Materia verò prima nihil præstat ad naturam, habent ergo aliquam materiam secũdam, etsi sint homogenea. Sed que potest esse materia secunda homogeneorum? Certè ea exquibus facta sunt, velut elementa sunt materia cõcretorum, & succi mẽbrorum quæ eis alũtur, & cibi succorũ natura-

Materia, secunda quæ.

lium quibus alimur. Et vnumquodque eius quod naturaliter ex eo fit. Dico autem naturaliter, velut naturali ortu aut concoctione quadam, aut concretione naturali, qualis contingit ex elementis. Omnia enim hoc modo genita habent analogiam, & naturalem similitudinem, cum modi substantiæ, tum etiam virtutum, cum eo ex quo genita sunt. Vnde non difficile, ex natura ipsius rei ita genitæ, coniectamus, quibus ex rebus facta sit, quia semper manent illarum vestigia. Illa ergo ex quibus fiunt, sunt concretorum homogeneorum materia secunda. Sed dices, in ratione materiæ est vt maneat in re cuius est materia (materia enim est ex qua immanente aliquid fit) sed id ex quo fit aliquid, corrumpitur, non manet ergo, non est ergo materia. Cæterum id ex quo aliquid fit si violento aliquo interitu corrũpitur, vt quod vritur, solet adeò corrumpi, vt neque illius forma neque omninò vires maneant, tuncq; reuera non est illius materia, neque quidquam præstat ad illius naturam. Cùm verò naturaliter, manet certè, non actu, sed secundum vires, atque quia quodammodo manet, quodammodo est materia. Hac ratione dixit Aristotel. differens de mistione elementorum. Neque corrumpuntur ambo, neque alterum, manet enim potentia illorum. Itaque quodammodo manent elementa, & quodammodo sunt materia, & modus illorum facit ad naturam concreti, non quatenus sunt materies, sed quatenus materies habentes naturas proprias, hoc est quatenus secundæ, itaque materia secunda est duplex, quædam vt homogenea eterogeneorum, quædam vt elementa concretorum, & cibi, & semina & huiusmodi eorum quæ ex illis fiunt. Illam vocant quidam materiam incommutatã, hanc materiam commutatam, sed de hac quæstione hæc sunt satis.

10 De priuatione an sit materia.

Videtur priuatio aliud esse quam materia, alioqui non sunt tria sed duo tantum principia. Prætereà Aristo. cap. 7 libr. 1. de physica doctrina ita scripsit, materia numerari potest, hoc enim aliquid præcipuè est, & non ex accidẽti fit id quod fit, nam priuatio & contrarietas accidens. Si igitur materia est hoc aliquid, & priuatio accidens, non est res eadem. De inde priuatio est actus quidam, quia Aristotel. ipse cap. 1. lib. 5. ita dicit. Etenim priuatio ponatur contrarium, & monstratur affirmatione, vt nudum & album & nigrum. Et cap. 1. lib. 2. de physica doctrina priuatio inquit forma quodammodo est. Igitur priuatio vt forma quædam est, longè ergo differt à materia. Prætereà materia optat formam, vt turpe pulchrum, & fæmina virũ, id est esse vir, tamen priuatio non gaudet forma, imò optat semper formę corruptionem, hæc est enim sua conseruatio cùm sit formæ contraria. Ergo nõ est materia. Prætereà si esset ipsamet materia. Priuatio quatenus priuatio nihil est. Sed res fictitia, aut fortasse quod vulgus dialecticorum vocat ens rationis. Sed quo pacto ens rationis potest esse principium rerum naturalium? Aristotel. capi. 8. & 9. primi de naturalibus principiis satis distinctè decidit hanc controuersiam, probans priuationẽ non differrè numero à materia, differre autem ratione. Nam materia nihil habet præter materiam, nihil ergo de materia dicitur quod aliquid ab ea diuersum numero sit. Est autem materia priuata, & quando quidem priuata est, potest recipere, nã priuatio vt dicitur. 1. capit. quinti de physica doctrina & cap. 22. 5. methap. est ens quod potest accipere, qnoniam verò materia potest accipere formam, & caret illa, est autẽ ea bonum quidam & diuinũ, quia tribuit reb[9] esse, fit vt appetat. Est itaq; in materia potentia, & priuatio, & appetentia. Differunt autem hęc ab ipsa materia non numero, quia esset aliquid in materia, quod nõ esset ipsamet, sed ratione, quia alia est diffinitio materiæ, alia priuationis. Ea autem inuicem an differant est consideratione dignum. Priuatio ipsamet potentia est, quia vtrumque est in definitione alterius. Priuatio enim est vacuitas in eo quod potest accipere, potentia est posse recipere id, quo quidpiam caret. Appetitus naturalis materiæ est appetere secundum naturã id quo caret, potest autem habere. Appetitus autem dicitur in his non propriè, sed methaphora. Appetunt enim propriè quorum est sensus, ea autem qnæ naturaliter indigent re alia, quam accipere possunt, metaphora dicuntur appetere. Ergo hęc tria idẽ sunt

ſunt, poſſe habere, indigereque, & carere, tamen ratione differunt non nihil, etſi tenuiter, differunt enim vt actiue & deciue quia potentia eſt, quia poteſt, & caret, priuatio, quia caret & poteſt. Appetitus quia indiget. Tamen principium vnicum eſt priuatio, hoc enim continet alia, poſſe, ſcilicet & indigere. Non tamen, etſi hæc habet aliquem actum habet materia, potentia enim non eſt actus, priuatio eſt vacuitas ipſa, indigere verò non eſt habere. Ipſa verò priuatio differt à materia ratione, eſt enim ipſa materia carens potenſque habere. Materia autem perſe aliter diffinitur, videlicet ſubiectum primum formæ, Atqui neque materia neque priuatio eſt res quæppiam, ſed materia eſt principium rei naturalis, priuatio principium ortus. Quare multò minus accedit ad id quod eſt priuatio, quã materia. Materia enim eſt principium rei perſe exiſtentis; priuatio autem non niſi paſsionis. Quanto ergo minus propriè eſt mutatio ipſa quam res naturalis, tanto minus priuatio quam materia. Atqui priuatio omninò eſſet nihil, niſi haberet adiunctam potentiam, ob hanc autem poteſt affirmatione dici, vt nudum, quod poteſt eſſe veſtitum, & caret veſtibus. Itaque materia & priuatio analogia eſſe dicuntur, non propriè, eam autem analogiam habet materia cum ſubſtantia, quia ſubſtat: priuatio cum accidente quia dicitur de materia corrumpiturq; manente materia. Cuius cauſa quodammodo materiam corrumpi dicit Ariſto. cap. 9. primi his verbis. Vt. n. id in quo perſe corrumpitur, nam quod corrũpitur in hac eſt priuatio. Vt autem ſecundum potentiam non perſe, ſed incorruptibilem & ingenerabilem neceſſe eſt ipſam eſſe. Appetitus præterea non eodẽ modo eſt in materia atque in priuatione, vt incõmentariis explicatũ eſt, vbi monſtrauimus falſo putare pleroſq; materiã ſemper optare aliam formã ab ea quã habet, atq; illud quod Ariſt. dicit. Qui in illius maleficium intenderit, de materia intelligi. Immò verò diximus materiam optare formã quamcũq; & proinde quacumque gaudere, eſſeque naturaliter ſub quacumque, & corruptionem nũquam incipere à materia optãte aliam. Sed hoc ſolum ei ineſſe, vt ſit ductilis ad quamcũque quia ſcilicet quà materia nullum actum habet, & poteſt habere quẽcumque, optat indiſtinctè quemcumq;, & gaudet quacumque, tantum vt nõ careat actu. Nã qua ratiõe rectè diceretur ab Ariſto. eſſe vt mater formarũ, niſi optaret formam, & gauderet quacumq; atque quamcũq; foueret? Nã aliter ſi ſemper optaret eã qua caret, violẽter eſſet in ea quã habet ſed ſi naturaliter in eam venit, non poteſt nõ naturaliter ſub ea contineri. Vſſurpatiſſimum enim eſt illud ab Ariſtotele ſecundum naturam res quieſcere, quò ſecundũ naturam venit. Quare ego contra puto ac illi, illi dicunt appetitum materiæ nunquã ſatiari, quia optat ſemper aliam & aliã formam: ego verò dico materiæ appetitũ ſemper eſſe ſatiatũ, quia optat nihil aliud quã eſſe ſub forma, nunquam autẽ eſſe poteſt aliter. Dices nunquam ergo appetit, quia nunquam caret. Reſpondetur, illud appetere non dici de materia vt eſt, cum forma ſcilicet (hanc enim potius dicemus gaudere, quia fruitur forma) ſed de materia vt intelligitur perſe, & quà ipſa expers eſt omnium formarum. Ita enim dicitur à Platone. Sed vbi eſt quæ expers eſt omnium formarum: nullibi, ſed intelligitur, eaq; optaret formam, non hanc aut illam, quia quæcumque eſt illi ſatis. Dices rurſum ergo omnis mutatio ſubſtantiæ eſt præter naturã & violenta, quia materia cum ſemper gaudeat ea forma quã habet, ſemper repugnabit. Certè materia cùm nihil optet niſi formam, idque optineat, non minus accipiẽs aliam, q̃ retinens hanc, neutrã potius amat Quare vt ortus ſit naturalis aut præter naturã, materia nihil facit, ſed tota cauſa eſt rei natura quę iuuat aut repugnat. Primã aũt materiam, ne naturam quidẽ eſſe mox ſumus mõſtraturi, id aũt, qđ dicimus nũc, cõſtat, quia ſi materia optaret magis hanc quã illam formam nõ eſſet perſe æque expers omnium formarũ. Nã vt materia aliqua optet formã aliquam præ alia nõ facit formæ maior perfectio vt vulgares interpretãtur, ſed quod materia propriusad hãc quam ad aliam acceſſerit, nã aliter quæuis materia optaret formam perfectiorẽ plus quam imperfectiorem, quare ſemen aſini, optaret formam hominis plus quam aſini. Id verò eſt falſum, illam enim optat magis, in quã naturali propẽſione fertur: illã ergo quã habet potentia propriori, hæc aũt maior aut minor potẽtia nõ fit ſine aliquo actu, prima ergo matereria quæ per ſe omni actu caret, nullã formã optat prę alia

Quod non intelligentes quidam dicunt, siquis vritur eam corruptionem gratia materiæ esse naturalem, rem prorsus falsam, nam vt in commentariis indicauimus nihil facit materia, vt mutatio aliqua dicatur naturalis aut præter naturam, sed ipsa rei natura. Vstio ergo quandoquidem corrũpit naturam præter naturam est, naturalis autem vt fit, alio sensu euenit, id est neque supra naturam vt miracula, neque contra communem naturam, quia materia capax est formæ ignis non tamẽ cõfert vim, quia amauat æque quam habebat. Quid est ergo quod de maleficio dicit Aristote. certè nihil aliud, quam priuationem contrariam esse formæ. Et proinde non optare eam vt materia, quia optaret suum interitum. Priuatio quidem ipsa per se nihil optat, quia per se est simpliciter non ens, sed priuatio in materia est principium corruptionis. Materia enim quà materia quacumque forma vt dixi, satiata est, proinde hac ratione habet principium substandi huic sed non commutandi hanc, principium autem commutationis in ipsa est priuatio, accipit enim formam aliam non quia est materia, nan materiæ satis erat habere formam, sed quia est priuata hac forma. Itaque malefica est priuatio, materia autẽ mater: differunt ergo ratione, numero autem non possunt, quia in materia per se, nihil est præter materiam. Plerisque argumẽtis est iam facile respondere. Primò Aristotel. respondit principia quodammodo esse tria quodammodo duo, duo quidem quà priuatio & materia vnum sunt, tria quà differunt numero. Secundò respondetur, neque materiam esse substantiam neque priuationem accidens, rationem tamen priuationis analogam magis esse accidenti, materiæ, substantiæ, re vera autem esse vnum numero, quia autem analoga est accidenti, neque est mera negatio, sed continet potentiam, est quodammodo forma, & dici potest nomine affirmationis vt cæcum, & nudum, quanquam non in omnibus sunt nomina, nam non homo non habet nomen, quod affirmatione significet priuationem, intelligitur autem vt si a significet non hominem qui potest esse. Verum hoc non est differre à potentia sed esse idem. Nam potentia est ipsa materia sine omni actu, quare illud nomen quod affirmatione dicitur, nihil minus significat quam actum, sed significat potentiam cum priuatione, quare hoc ipsum continet rationem materiæ. De appetitu materiæ, vtque proinde non fiat, vt materia differat à priuatione magis quàm ratione, satis dictum est. Sed vltimum argumentum super est perpendamus. Si differret ratione dicunt, non esset verum ens priuatio sed ens rationis. Apud Aristotelem non reperi alios modos differẽdi, quã numero aut ratione, est autem vt habetur in commentariis cap. 3. lib. 1. vbi dixi quod modo rursum dicere incipio) differre numero, quod hoc sæculo dicunt realiter, id est reuera, & vt res duas, quæ numerari possint, ratione autem differre, est rem eandẽ esse, diuersam autem rationem & diffinitionem, nihil autem mirum rei eidem diuersas rationes in esse, quæ nõ faciant numerum verum. Præter has quidam posteriorum cæperunt, quam Aristote. vocauit differentiam rationis, formalem appellare & addere aliam minorem quam vocãt rationis, dicunt autem differre ratione quæ differunt sola opera intellectus, ita ipsarũ rerum quasdam dicunt esse entia realia, quasdam entia rationis. Entia rationis dicunt quæ nõ sunt revera, sed solum opera intellectus. Ego verò mihi persuasi, si propter nostrũ affirmare aut negare, nihil ponitur in re, multo minus propter nostrũ intelligere. Quare quod non est aliter quàm operatione intellectus, nihil est: & qđ non differt aliter, non differt, nisi nomẽ hoc nihil, & hoc chimera significant entia rationis. Dicunt, quod est nihil etsi intelligatur esse nihil, quia neque est quidquam, neque vt dicunt habet fundamentum in re, sed est merè fictitium: entia autem rationis habent fundamentum in re. Falluntur verò putantes se addere posse aliquid sua cogitatione illi fundamento. Certè quod illi intelligunt & dicunt, illud est reuera in rebus, nisi mentiuntur, sed quia differtè loquuntur, quæ videntur esse simplicius, putant se entitatem aliquam intelligendo dedisse. Vt Deus scilicet, qui dicendo facit. Si enim non faciunt dicendo, profecto quæ differre dicunt, re vera differunt ipsis etiam non dicentibus, aut mentiuntur. Si autem mendacium est, verius multo nihil est. Sed explicemus singula. Tria dicũt esse essentia rationis, negationẽ, priuationem, & relationem, sed nulli horum quid-

Respondetur.

De modis differẽdi

De ente rationis.

quidquam addit cogitatio. Nam negatio nihil est, neque certe intelligitur vt aliquid. *Negatio.* Nam non intelligitur cum negatione potentia, sed non hoc, vt non sedere, nō prādere: siquidem autem ponitur in initio, non, nihil intelligitur vt ens, sed negatur quoddā ens: alioqui in hac assertione lapis nō videt, dicitur aliquid de illo, hoc verò falsum est: nam posset illud dici affirmatione, non tamen potest. Negatio ergo nihil est, quare neque ens rationis. *Priuatio.* Priuatio praeter opus intellectus est res quaedam [illegible] sine. Sed mala quaedam dispositio, qua oculi cum possint videre non vident, haecque est potentia cum priuatione, morbus quidam oculorum. An morbus est operatione intellectus in rebus? Quandoquidem ergo homo praeter opus intellectus videt & est caecus, haec entia vera sunt, non proinde substantiae, sed vt alia accidentia. Sed quid est quod de relatione dicunt? *Relatio.* Rationem generis & speciei & aliorum vniuersalium dicunt esse entia rationis, quia in rebus nihil est quod non sit singulare. Galenus 2. libr. methodi dicit, eos, qui non agnoscunt vniuersalia, stupidiores esse asinis, quia asini agnoscunt hominem, & hunc hominem, nimirum etsi nullus homo sit, qui non sit hic homo, tamen re vera & nullo intellectu operante, hic homo est homo, & animal est: ratio communis in singulari. Quòd si tu cum dicis hominem esse speciem, intelligis rationem communem, quae est in singulis, esse speciem, dicis quod res habet, te neque dicente neque intelligente, si dicis rationem aliquam in nullo singulari existentem esse speciem, loqueris vt in hypothesi aut mentiris: si dicis ideam quandam hominis in Deo, dicis verè: est verò ea species non ens reale solum sed diuinum, verè ens, & ipse Deus. Quae sunt ergo ista monstra, eorum qui in intelligendo faciunt? Nulla vera intelligo. Neque quidem cum disputamus de rebus quae neque sunt, neque esse possunt, velut de infinita magnitudine, & de vacuo, ego dixerim nos loqui de ente rationis, sed loqui in hypothesi, de nihilo, quasi esset aliquid. Sed dices rursus si omninò est nihil qua ratione est intelligibile, siquidem obiectum intellectus est ens. Respondeo ea quae sunt intelligi vt sunt, quae non sunt, intelligi, non per se, sed per ea quae sunt. Velut infinitum quod non est, per negationem [illegible] vt intelligimus chimeram. [illegible] sed dico illud esse disputare in hypothesi, nomina verò non significare entia rationis, sed inter disputandum de separatis significare ea hypothesi, per se autem significare [illegible] tio continere aliquid quod dicitur affirmatione, potentiam scilicet, & esse ens per accidens, per potentiam scilicet seu materiam, cum qua est idem numero. Si igitur materia non est ens rationis, neque priuatio sit ens rationis. Sed quod materia est per se, priuatio est per accidens. Habet autem materia esse, non rei sed principij.

Quid sit natura, & an materia sit natura, & an grauia & leuia moueantur à se ipsis, & an quiescere sit agere, & quid differat ars à natura. 11

NAturam inquit Aristotel. esse principiū quoddam & causam mouendi & quiescēdi, et in quo primū est per se ac

non

non secundum accidens: tamen videtur hæc diffinitio non congruere multis naturis: nam neque diuinæ, neque angelicæ, neque naturis eorum quæ dicuntur accidentia. Deinde videtur hac ratione priuatio esse natura, quod tamen est falsum, quia priuatio est perse non ens. Videri autem esse naturam constat, quia principium commutationis eius in quo est, est priuatio; lignũ enim quia est non ignis, habet principium vstionis, idque per se. Nam monstratum est anteà priuationem esse perse principiũ naturalis ortus, & formam fieri perse ex priuatione, vt musicum ex non musico, ignem ex non igne: priuatio ergo est natura. Quod si dicas non esse, quia etsi est principium, non est tamen causa (nullo enim in genere) commutationis, fit vt neq; materia sit natura, quia materia non est causa motus, nam neque efficiens, neque finis, neque forma, neque materia. Materia enim est rei, non motus. Motus enim non accidit materiæ sed rei, sed si non est materia motus, non tantum non est causa sed neque principium. Quod enim, nisi vt materia? Quod si dicas esse principium & causam motus, quia est rei, res autem motus. Istud quidem fit per accidens. Malè ergo in definitione diceretur perse & non secundum accidens, aut ergo malè definita est natura, aut materia non est natura. Dictũ est autem ab Aristote. millies duplicem esse naturam, alteram formam, alteram materiam. Præterea cùm dicitur principium, & causa motus, aut intelligitur vt efficiens aut vtcumque, si vtcumque, tam scilicet vt efficiens, quàm vt recipiens, fit vt ea potentia, qua lignum potest fieri arca, sit natura: Quia habet potentiam & principium vt dicitur, passiuũ vt arca fiat. Ea etiam potentia, qua lapis trahitur sursum esset natura. Potest enim trahi, habet ergo potentiam passiuam ita mouendi. Si enim dicas intelligi principium & causam motus naturalis, multò deterior erit definitio, quia quod definitur ponetur in definitione. Nam naturalis & naturæ eadem est ratio & forma. Si autem intelligitur principium & causa efficiens, fit vt nihil habeat naturam præter corpora viuentia, hæc enim sola habent in se ipsis principiũ efficiens sui motus. Inanimata verò mouentur ab alio, à generante scilicet, aut à remouente id quod prohibet, vt docet ipse Aristotel. capit. 4. libr. 8. præterea, cœlum non habet principium quietis, non enim potest secundum naturam quiescere, tamen est corpus naturale: non ergo dici oportuit in deffinitione, motus, & quietis. Præterea in illa definitione nomen motus non accipitur propriè pro motu Physico solum, sed pro omni mutatione, nam & pro ortu & interitu, vt in cõmenta. monstratum est, haberet ergo Angelus quoque naturam, nam mutari possunt per sese Angeli, etsi non moueantur physicè: non ergo omne ens naturale esset corpus, quod tamen anteà dictum est. Præterea forma horologii videtur esse principium eius motus, & forma rotę principium suæ volutationis, & ars saltatoria est principium saltandi in eo in quo est, in ipso inquam saltatore. Aut ergo malè definita est natura, aut idem est natura & ars Hæc & eiusmodi alia occurrunt hoc loco argumenta, quorum quodcumque continet controuersiam non leuem. *Respondetur.* Explicabuntur verò à nobis breui, quia ferè in cõment. explicata sunt. Primùm quidem leue est, non enim hic definitur natura, vt nomen latè patet, sed vt propriè dicitur de essentia earum rerum, quæ quà tales, habent in se ipsis principium motus, vt dicitur. 4. metaphysicor. Priuationem quodam modo esse naturam Aristo. dixit cap. 1. lib. 2. de physic. doct. his verbis, forma autem & natura bifariam dicitur, etenim priuatio forma quodam modo est: tamen nõ dicit esse naturam nisi quodam modo analogia scilicet, vt est forma. Vt sit autẽ priuatio forma, dictum est proxima quæstione sed cur non est propriè natura? Nam priuatio frigoris, per se est principium calefactionis, eius corporis in quo est. Certè quia etsi sit principium nõ est causa, oportuit autem vt esset natura esse vtcumque, nam in deffinitione, non incautè dixit Aristote. principium & causa. Quid ergo dicemus de materia? Certè neque hanc esse naturam (primam materiam intelligo) nisi analogia, vt priuatio. Itaque assero solã formam rei esse naturam propriè, priuationẽ autem & materiam analogia. Priuatio quidem vt similis est quodam modo formæ, materia autem prima quà analogia est materiæ secundæ, quæ vt formam continet, est natura. Itaque omnis naturæ ratio redit ad formam. In primis hanc esse sen-

ten.

tentiam Aristotelis constat ex verbis nuper citatis ex 1. capit. 2. dicit enim, forma autem & natura bifariam dicitur, in qua oratione constat illam particulam & esse declaratiuam, quasi idem sit forma & natura, addit etenim, priuatio forma quodammodo est. Dicit itaque priuatio quodam modo est natura, quia quodammodo est forma. Hinc autem legitimè colligunt dialectici omnem naturam esse formam, quia vulgatissimum est apud illos, causalem assertionem habere vim vniuersalis. Prætereà ex argumentis quibus eodem capite disputat contra Antiphontem & alios quosdam, asserentes naturam esse quod primò subiectum est vnicuique, constat hanc esse illius sententiam, & esse veram. Nam vt in comment. percurrentes singula indicauimus, constat illis argumẽtis non tantum effici formam perfectius esse naturam, sed etiam eam solam propriè. Præterea. 4. methaphisicor. capi. 4. ita scriptum est, ex dictis ergo prima & quæ propriè dicitur, natura est essentia eorum quæ in seipsis, qua ipsa sunt, motus principium habent. Materia enim eò quod huius est susceptiua. Quibus verbis apertè significatur eam naturam quæ hîc definitur esse essentiam ipsam habentium in se motum, (quis autem dicat materiam esse οὐσίαν essentiam inquam rei?) Materiam verò analogia aut per accidẽs dici naturam, quia est naturæ susceptiua. Quin & hoc ipso primò capite. 1. de physica doctrina referens illorum sententiam, dicit. Videtur autem quibusdam natura & essentia eorum quæ natura constant, quod primò subiectum est vnicuique, quasi idem sit natura & essentia natura constantium: essentiam autem non posse dici materiam constat ex alio loco quartò methaphisici, vbi cum nominasset essentiam, velut hoc solo nomine exclusa iam esset materia, addidit, materia enim eò quod huius susceptiua. Sed ex ipsa difinitione est luce clarius. Nam materia non est principium & causa motus, aut dic quo in genere. Quod si vis in vito autore dicere, principium aut causa, vt materia, & si causa motus non sit, sit principium, cur non erit priuatio natura multò potius? Nam non esse infra, perse est principium descensus in re quæ descendit. Ego profectò non video qua alia particula excludatur priuatio, quàm particula illa causa, qua etiam excluditur materia. Præterea vt in commentaris diximus, natura est nomen virtutis cuiusdam efficientis, aut actus, materia est mera potentia. Porrò cuiusq; rei sua natura est principium differendi à rebus aliorum generum, sed materia nulli est principium differendi, quia eadem est omnibus. Natura etiam est nomen perfectionis & finitionis, in prima materia nulla perfectio est, sed infinitas, nullatenus ergo est uatura, sed vt ens in compositionibus methaphysicis nulla essentia est, sed substat omnibus essentiis, ita prima materia in Phisicis nulla natura, est sed substat naturis omnibus. Obiiciũt nobis Aristotelem qui non semel aut bis, sed pluries dicit in hoc ipso opere & in methaphysicis duplicem esse naturam, vt formam & materiam: ego verò produxi locum quo dicit duas esse naturas, priuationem & formam, illi tamen proinde nollunt concedere priuationem esse naturam, nisi analogia, ita ergo mihi licebit dicere de materia. Sed quod de materia dicit de materia secunda intelligit, atque de ea non perse, sed quia habet in se speciem & formam, sit enim interpres sui ipsius ipsemet Aristotel. ille capite citato quarti methaphysi. posquam narrauit sententiam ponentium naturam in materia, dicit, quare & quæcumque natura sunt aut fiunt, iam existente ex quo aptum est fieri, aut esse nondum dicimus naturam habere, si speciem & formam non habeat. Et mox, quæ propriè dicitur natura, est essentia eorum quæ in se ipsis vt ipsa sunt, motus principium habent, materia enim eò quod huius est susceptiua, dicitur natura. Itaque interprete eodem Aristotel. materia quia formam habet, habet autem formam materia secunda, prima non habet perse, esse autem natam recipere, ratio naturæ est ad modum methaphysica. Est quidem materia prima natura, velut ars dicitur opus arte factum, tamen constat arcam non esse artem. Sed argumentatur, forma hominis (eadem est ratio aliarum) sine materia existens, non potest physicè moueri, ergo materia est principium motus. Ego quidem responderim, formam non esse principium motus sui ipsius, sed eius in quo est, hominis scilicet, quare forma perse non est quod

Obiectiones.

moueatur, non enim est ens naturale sed natura. Addunt rursum, homo sine materia non potest moueri, neque est ens physicum, sed metaphysicum, ergo fit mobilis per materiam, materia ergo est principiũ motus. Ego quidem responderim hominẽ sine materia non posse moueri, quia nõ potest esse magis quam simum sine naso. Si autem esse posset homo sine materia, ille posset currere & clamare, facit enim hoc quia homo est. Sed neque illa cõsequutio est legitima, sine materia non potest moueri. Ergo materia est principium motus, & natura. Nam multo magis quantitas esset natura, nam sine quantitate etsi esset homo non moueretur quia non posset moueri motu primo, latione inquam. Quid ergo desideratur, vt sit natura? Non sane vt sit principium vtcumque, neque vt causa sine qua non, sed vt propriè principium & causa motus, quod materiæ non potest accidere. Sed procedamus. Tertio argumento non eodem modo respondent omnes, nam sunt qui affirment grauia & leuia non moueri à seipsis, sed per se à generante, ex accidenti à remouente prohibens, verbi gratia, ignem ferri sursum, vt ab efficiente precipuè ab igne qui genuit, eum autem qui genuit vti vt instrumento, huius quem mouet, forma: si quis amouit impedimenta mouere per accidens. Hi vocant in suã sententiam Aristotelem, qui cap. 4. libr. 8. de physi. doctr. ita scripsit, quæ nõ à se ipsis vt leuia & grauia (aut enim ab eo qui genuit & fecit leue aut graue, aut attollẽte quæ impediunt & prohibent) omnia quidẽ quę mouentur mouentur ab alio, hęc Aristot. ex quibus facilè constat Aristotelem quoque reffugisse dicere in animata corpora moueri à sese; & inuestigantem causam mouentem, nõ reperisse aliam, quàm quæ genuit, quanquam aliter hoc Aristotelem intellexisse ac vulgares Aristotelicos in cõment. dixi, & nunc monstrabo. Illi intelligunt vt dixi, hanc aquam ab ea à qua genita est moueri, quia quæ genuit impressit vim qua ita res feratur. Horum argumentum est quod & ipsius Aristote. quia nihil differrẽt inanimata ab animatis, qua enim alia ratione distinguimus viuentia ab iis quæ non viuunt, quàm quod illa mouentur per seipsa, hæc non mouentur? Præterea quia omne quod mouetur mouetur ab alio, quare nihil mouetur à seipso præterea in quibus est ea partium differentia, vt aliæ ab aliis moueantur, in inanimatis autem & homiomeris non est. Verum tamen horum sententia vt in com. dixi. Semper mihi mouet risum, quia per sese est absurda, & debiliter cõfirmatur, & malè defenditur. Quia nulla actio Physica esse potest sine contactu physico, quo pacto autem potest aqua quæ hanc genuit, si forte iam est absumpta, aut in longũ translata, hanc tangere? Dicunt virtute quam reliquid, velut qui proiicit mouit rem, quæ proiicitur etsi extinctus iam sit. In primis quando nimis Aristotelici videri volunt, oportuit illos intelligere de sententia Aristote. non esse causam profectionis vim impressam, sed partes medii alias, alias impellere, & proximam, eamque quæ mouetur mouere rem proiectam: nam Aristote. ita docet cap. vltimo de physica doctrina. Si autem hac in parte voluerunt ab Aristotelis sententia deflectere, cur volunt se motui à generante obligare? Præterea res quæ proiiciuntur, eatenus moueri possunt à proiiciẽte, quatenus impetus ille qui semel impressus est non sedatur, neque motus sistitur: Grauia verò denuo mouentur quoties remouetur prohibens. Si verò dicas non adeò esse simile proiectioni, sed esse vim quandam datam ab eo qui dedit naturam quia qui dat naturã, dat quæ ad hanc tuẽdũ sunt necessaria: & animalia cogeris dicere moueri à generante. Nam qui dedit animum, dedit vim mouendi loco. Dicunt hoc interesse, quòd animus vtitur vi mouendi, tamen in inanimatis generans per illam vim vtitur forma rei quæ mouetur, si autem hoc est verum, fit vt forma & species rei non sit primus actus rei, nam illa vis erit prior quam forma, quia vtitur illa vt instrumento. Monstrum rerum. Præter hęc pone aquam gigni per accidens à circumposito igne, vt in media aëris regione euenit, & ignem à circumpositis vaporibus vt intra nubem fulmina, aut à silice & ferro ob extenuationem aëris, & rogo hæc aqua aut hic ignis à quo mouebitur. Aqua enim hęc non est ab aqua genita sed ab igne; ignis verò non poterit mouere deorsum, neque refrigerare aquam feruentem. Fortasse dices moueri illam aquam à causa quę genuit per se, puta ab vniuersali vt fortasse ab astris. Ego rogo an alia, & iã aqua quę ab aqua genita sit moueatur ab

astris,

astris, an solum ab aqua quæ genuit. Si ab astris quoque, cùm sola vis astrorum sufficiat, vt in alia aqua constat admouẽdum, frustra ponitur vis à generante: In phylosophia autem nihil poni debet frustra: sin à sola aqua quæ genuit, in primis mirũ figmentum astra succurrere huic aquę vt moueatur, illã autem negligere vt pote quam sciant non esse orphanam, sed habere genitricem. Deinde fit vt hæc & illa aqua nõ sit eiusdem naturę: Nam alteri inerit secũdum naturam potentia vt moueatur ab aqua: alteri non inerit nisi vt ab astris. Non ergo eadẽ secundũ naturam illis inierunt. Absurdum prorsum & vanum dicere grauia & leuia moueri à generante, nisi intelligant à generante vniuersali. Atqui ego ita intellexisse Aristotelẽ interpretor. Nã minus est absurdũ, hic enim genitor semper aderit, & semper poterit tãgere. Atqui cùm Arist. dixerit solem & hominem generare hominem, & nunc nõ dicat quam generantem causam intelligat, cur non explicetur de vniuersali, cum id sit magis consentaneum? Maximè cum toto illo lib. 8. vix de aliqua alia re agat, quàm de modo quo hæc quæ apud nos sunt mouentur à primis corporib⁹. Atq; adeò ex causa qua Arist. in eum sermonem venit, cõstat eum de generante vniuersali intellexisse. Nam quorsum hæc dixit? an non vt statuens omne quod mouetur moueri ab alio, procederet vsque ad primam causam? Tamẽ per causas singulares non poterat, proceditur enim in infinitum. Nam vt ego moueor à patre, ita pater ab auo, auus ab atauo & ita in infinitum. Quare ad primam causam nũquam perueniet ratio, nisi procedat per causas vniuersales ab inferioribus ad superiores. Arist. ergo grauium & leuium motum ab vniuersali generante esse intellexit. Quanquam neque hoc verum esse cẽseo, nam iusta sententiam ponentium, grauia & leuia moueri à generante siue singulari siue vniuersali pro naturæ definitione respondendum est, illud principium motus intelligi debere non de causa efficiente, sed de principio quocunque, siue efficiẽte vt in viuentibus, siue recipiente vt in animatis. Sed mihi videtur si ita est malè in definitione adiectum esse & causa. Nam illa potentia recipiendi motũ, principium quidem motus erit, causa autem minimè. Si quæ enim, maximè materia, naturam autem esse materiam motus quis cõcedet? Præterea nihil interesset vt in argumento dicebatur inter naturalem motum & motum præter naturam, & affectionem secũdum artem. Nam & ligna habent potentiam passiuam, vt arcæ & mensę fiant, & lapides possunt trahi sursum. Dicunt potentiam grauium vt trahãtur sursum esse remotiorem, vt deorsum propriorẽ, neq; enim omnia quæ potentia aliquid habent, æque id habent: Nam semen potentia est homo, magisque quam sanguis & cibi: ergo grauia principium quidem passiuum habere, vt moueantur sursum, id tamen remotum, ita enim possunt, vt resistant tamen ita mouenti, Vt verò moueãtur deorsum, habent principium passiuum proximum, non enim resistunt, sed sequentur vltrò. In definitione ergo naturæ, dicunt intelligi principium efficiens, aut recipiẽs, proximum tamen. Verum neque hoc videtur esse verum. Nam si causa quę genuit siue singularis siue vniuersalis moueret grauia & leuia, & ea nihil agerent, sed ducerentur tantùm, non descẽderet facilius magna terræ gleba quam exigua. Nam aut illa gleba iuuat causam mouentem, Et ita cooperatur cum illa (vt ita dicam) quare mouet seipsam, & si iuuetur à generante vniuersali (hoc enim nemo tollit) aut neq; resistit neque iuuat. Sed si neque iuuat neque resistit, indifferens est id quod mouetur esse magnum aut paruum, id autem quod mouet est idem, putà quod genuit. Ergo velocitas descensus erit eadem, siue parua siue magna terræ gleba sit. Quod si dicas illam maiorem velocitatem nasci nõ ex minori resistentia minoris glebæ (non enim rsistit) neque ex maiori efficatia maioris (non enim facit) sed ex medio quod pautioribus partibus æque motis resistit plus, pluribus, minus videtur hoc quoque falsum: Nam cum virtus sit eadem numero (pono enim ab eodem genitas esse omnes partes glebæ) non poterit æque pugnare cum pluribus medii partibus, atque cum pautioribus. Quare velocius mouebitur exigua quam magna, quia vna eademque virtus plus poterit pugnans cum vna parte. Quod si dicas non operari in singulis quantum potest, sed in singulis tantum. Primùm oportet hãc vim esse liberam, deinde oportet esse infinitam, nam aliter nõ poterit mouere tanta vi quæcunque cor-

pora, sed tot, quare cùm ea causa genuerit tot corpora, si vnum præterea generetur, non erit à quo moueri possit. Nam si dicas & si causa quæ genuit vna sit, tamen virtutes impressas in singulis esse diuersas, nihil refert, illæ enim virtutes sunt vt instrumẽta, vis generans vt præcipuum efficiẽs: sed nulla causa vti põt instrumentis quotcunque ad certam quandam actionẽ, nisi sit infinita: oportet ergo eam causam esse infinitam & liberam, qualem Aris. posuit nullam, nos verò Deum esse dicimus. Dicendum ergo erit moueri grauia & leuia ab ipso Deo, sed Deus non solet in iis quæ secũdum naturam fiunt per se quicq̃ facere, sed per secundas causas. Præterq̃ quod quid opus est tam multis? quæ enim repugnantia est moueri aliquid à seipso? Mihi quidem videtur esse necessarium. Nã animalia à seipsis mouẽtur, dicunt in animalibus moueri partes à partibus, sed ita quoque necesse est esse aliquid quod seipsum moueat. Nam aut erit processus infinitus in partibus motis & mouentibus, aut mouebunt aliquæ partes se mutuo (quorum vtrunque in latione esse non posse in cõmẽtariis probauimus) aut peruenietur ad partem primò mouentem (sit hæc cor) quæ moueat seipsam, quod si in vna parte fieri potest, nullam profectò repugnantiam cõtinet. Sed præter hæc, graue per se præter generantis operam resistit trahenti sursum (nam si non resisteret eandem haberet potentiam ad vtrumq; motum) sed si resistit nititur in contrarium, ergo præter generãs habet vim qua niti possit, quo fert naturalis impetus, ergo nisi impediatur, per se & præter generãs eò ibit. Ego proinde ita statuo omnia posse moueri p sese quo fert natura, atque naturã esse principium efficiens & causam motus. Vnde rursum cõstat materiam non esse naturam, sed solũ formã, quæ per se sine instrumento aliquo potest rem, vtcũq; posita sit extra id quod ei congruit, transferre. Vt graue suprà positum descendit & calefacta aqua frigescit id verò sine instrumento agi constat, quia instrumentorum vsus ad res extra positas videtur esse necessarius, non verò ad id quod per sese aliquid facit. Deinde quia vidimus aquã feruentissimam quæque nihil frigoris habet redire ad frigus, nullo ergo vtitur frigore. Ridiculũ enim est quod dicunt quidam, probabile esse aquam feruẽ- *de aqua calida.*

tem habere plus frigoris quã caloris. Etsi id nulla ratione (dicunt) suaderi possit. Ridiculum sanè, nam si sensus repugnat & nulla ratione probari potest quomodo est probabile? Iis quæ obiiciunt facile est respondere, dicimus enim animalia differre ab inanimatis, quia illa mouentur quoquo versus & liberè, hæc verò nõ nisi quo fert natura & sine libertate. Iam verò quæ mouentur semper moueri ab alio, cùm ab eo quod sibi naturale est extrahũtur, cùm verò redeunt ad naturam moueri à seipsis. *Respõ[n]tur ar[gu]mentis.* Hoc verò an omnia moueantur ab alio an non, rursum venit per se disputãdum, nũc ad aliam definitionis particulam trãsgrediamur. Argumentabamur videri frustra additum esse in definitione principiũ motus & quietis, quandoquidem cœlum naturale corpus est, tamẽ quietis nullum habet principium. Quidam facile respondebunt huic argumento, qui negant (hæc est sententia Auicenæ & Scoti) cœlum moueri secundum naturam, atque statim negabunt esse corpus naturale. Qui in eã sententiam eo argumento maximè veniunt, quod ea tantum videntur secundum naturam moueri, quæ redeunt ad ea quæ sua natura amat velut grauia descendunt & aqua frigescit, cœlũ verò neque loco neq; qualitate aut forma alia potest extra naturam poni. Dicũt ergo eum motum agi ab intelligentia ipsi autem cœlo non esse secũdum naturam. Quia autem neque præter naturam esse videtur aut aduersus naturæ, quia alius esset illi naturalis, dicũt neq; naturalem neque præter naturam esse sed neutrũ, atq; adeò cœlum neq; amare neq; auersari motum illum, sed tantũ posse recipere, velut nos diximus materiã ad singulas formas affectam esse. Cæterũ hoc videtur soli materiæ posse euenire, vt non magis amet hanc formam, quàm contrariam, quia caret per se omni actu. Quæ verò habent actu aliquas naturas, non possunt non amare contrariorum, quæ recipere possunt, alterum plus altero. Quia id quod habet, cum vno contrario analogum magis sit quàm cum alio, aut si sit ex contrariis compactum, ac proinde æque ad contraria videatur pertinere, resolui poterit in contrarias naturas. Quarum hæc in hoc, illa in illud ferat: cœlum ergo quandoquidem substantiam quandam habet & naturam, & motus potest

accipere

accipere, in hos potius quàm in alios, procliue naturale sit. Constat autem debere esse procliue in eos quos habet. Nõ enim est æternum quidpiam violentum. Illud autem procliue esse cœlum, qui negant inanimata (inanimatum enim esse cœlum in com. librorum de cœlo indicauimus) moueri à seipsis, dicent esse, habere potẽtiam quam dicunt passiuam & aptitudinem vt ita feratur, ferri autẽ ab intelligentia. Nos verò qui elementorum corpora à seipsis moueri mõstrauimus, cur illud cœlo perfectiori corpori denegem9? Dicimus enim cœlum vt alia naturalia corpora moueri à sua forma, quæ illi est principium efficiens motus & natura, intelligentiam verò si quid facit, modum ponere motui, vt tanta celeritate sit: cum enim non sit quod huic motui resistat, non videtur esse quid ponat hunc modũ. Neque sanè opus est motum naturalem reditum esse ad naturam, nisi in illis solum corporibus, quæ cũ suas naturas retinent, nullas habent actiones inmanentes, & quæ illis vt vita sint: Cœlum verò hac ratione maximè simile est viuẽtibus, & est vt animatum quoddam, quod cùm in loco naturali est, & maximè secundum naturam habet, mouetur perse se, & fruitur suo motu & loco. Alioquini si huiusinodi actiones naturales essent certè neque motus voluntarii animalium essent naturales, plerique enim non sunt reditus ad naturam. Atque quæ perfectissimas naturas habent corpora, ea nõ essent naturalia, atque neque ens mobile neque corpus mobile esset subiectum phylosophiæ, siquidem cœlum esset mobile & nõ naturale. Absurda ergo hæc sunt, sed cœlum est corpus naturale perfectius elemẽtis, sed quo pacto non habet principium quietis? Haud dubiè non dicit motus & quietis, quod opus sit naturale corpus vtriusq; principium habere, sed quod quæ mouentur natura mouentur, quæ mouẽtur & quiescunt, vtrunque agunt suã natura, non tamen vtrunque est ad naturæ rationem necessarium sed alterum est satis. Nam Arist. 4. meth. c. 4. motus solum meminit dicens, prima & quæ propriè dicitur natura est essentia eorum, quæ quà ipsa sunt, motus principium habent. Sed adhuc videtur hoc nõ esse satis, nam illud principium explicuimus debere esse & causam, tamen natura non videtur esse causa quietis, quia quies nõ est nisi cessatio quędam, quæ significatur negatione. Quòd si dicas naturam esse causam vtriusque, motus agendo, quietis cessando, fit vt sit motus perse quietis per accidens, vt nauta absens subuersionis nauis: tamen dicitur in definitione principium & causa motus & quietis perse & non secũdum accidẽs. Durum autem est illud perse & non secundum accidens de solo motu intelligi, cum Arist. dicens motus & quietis addat perse & non secundum accidẽs. Proinde ego intelligo naturam esse principium efficiens motus & quietis vtrunq; perse, atq; adeò quæ naturaliter quiescunt, agendo quiescere non cessando id quod in com. c. 1. lib. 3. probauimus ita habere. Quia quæ quiescunt in locis propriis, vi quadam retinent sua loca: id quod cõstat, quia siquis ea tentet amouere, sentiet ea resistere antequam moueantur: si ergo resistunt, agunt antequã moueantur (nihil enim posse resistere nisi agendo, monstraimus. ca. 5. primi controuersiarum Philosophicarum & medicarum) agunt ergo quiescẽdo. Sed argumentaberis, quod quiescit nõ mouet, nã quod mouet mouetur, vt dicitur. 7. de physi. doc. si aũt nihil ab eo mouetur, nihil patitur, neq; ergo illud agit. Quãdoquidẽ dico quæ quiescũt agere, cõstat nõ idẽ esse agere & mouere, sed agũt quæ quiescunt, neque semper opus est vt sit aliud quod patiatur diuersum ab eo quod agit: sed quandoquidem dictum est, quę naturaliter mouentur, mouere seipsa, constat posse esse eandem rem quę faciat & quę accipiat (nõ quidem eadẽ ratione vt suo loco dicetur) vt ergo cum graue ruit ipsum agit & agitur, ita cum est in loco, ipsummet retinet sese in loco, quare & retinetur, velut autem cum res mouet seipsam, pugnat cum medii partibus, & eas mouet, ita cum retinet sese in loco, pugnat cum iis quæ conãtur eã loco pellere, & eas arcet. In hac definitione nomen motus accipitur pro mutatione generatim, angelos verò & res alias incorporeas. 8. lib. de Phys. doctrina monstrauimus non mutari nisi per accidens, quare sola ea habent principium mutationis perse, quæ habent naturam. *Obiectio dillutio.* Soli ultimo argumento superest respondere. Quidam eorum qui physicas controuersias scripserũt caput proprium tribuerunt huic quæstioni, an arte facta differant à naturalibus,

turalibus, mihi verò videtur in tota ea quę stione nihil physicum esse præter vnicum hoc argumentum. Nam artem ipsam naturam non esse, neque perse principiũ motus ei in quo est Arist. docet, neque sine argumentis: sed obiiciens sibi medicum qui seipsum curat, respondet, non curare seipsum perse, sed per accidens: quia nõ quà Medicus curatur, sed quà ægrotus: curat ergo sese, vt curaret alium quẽuis. Ens autem naturale qua naturale mouet & mouetur, mouet enim sese qua naturale, medicus ergo qua medic⁹ curat, curatur aũt quà ens naturale, quà scilicet sanabile atqui quoniam vt naturale curatur, à sua natura curatur præcipuè, iuuatur autem arte natura. Hippo. enim alicubi ita dicit. Natura est morborum medicatrix, & rursum alibi medicus est minister naturæ. Natura curat idem corpus cuius est, ars verò non ita, sed quodcunque: plerunque alia corpora, nonnunquam suum quoque ex accidenti. Sed quo pacto sanat natura? certè vt forma aquæ eam in naturale frigus reducit. Falsum enim est prosum, quod quidam, nescio qua ratione sibi persuasit, reductionem corporum quæ sanescunt, fieri partibus integris partes ægrotas commutantibus, quanquam aquam sese frigore, quod habet etiam feruens, ad frigus naturale reducere putet probabile, atque proinde dicit, non posse fortasse quod semel ægrotauerit corpus ad naturam æque integram, atque prius quam ægrotaret, redire, ob reciprocam scilicet partium passionem, sed nescit quid dicat, neque iniuria, non est medicus. Quæ enim causa est, vt qua ratione (quæcunq; ea ratio sit) aqua calida frigescit, corpus ægrotum non sanescat? At verò neque ille, neque alius dicit, in aqua feruẽte refrigerari partes à partibus. Cur ergo non sanescãt corporis nostri partes vt aqua? Si scilicet nihil mouetur à se ipso, sed quæ naturaliter, à generãte, nostrę quoque partes sanabuntur à generante, eritq; quiuis homo medicus suæ proli sin autem, vt ego probaui, quæ mouentur in id quod sua natura amat, mouẽtur à seipsis, certè & partes ægrotæ reducuntur per se sua formã, quæ illis est natura, & principium motus. Si ergo potest aqua fieri nihilo frigidior quàm fuerit; cur non posit animal fieri nihilominus sanũ? Aut cur non etiam magis sanum obtinẽte natura, & pellente quæ animal reddebant valetudinarium? Certè ita euenit sæpissimè. Ars ergo medica non est principium motus ei in quo est, nisi ex accidenti. Sed neque saltatoria, est principium mouendi, sed principium ita mouendi, nimirum qui saltat, & qui cantat, & pulsat citharas, mouetur ad numerum. Motus quidem principium est natura, numerorum in motu ars. In definitione autem dicitur principium motus simpliciter. Formæ quę arte fit eadem est ratio. Nam & si forma horologii videatur esse causa eius motus, quia sine hac forma non ita moueretur: tamen nõ est causa nisi per accidẽs: constat enim motũ horologii, principium perse capere ex natura: quædã enim illius partes feruntur deorsum suo pondere, & alias ferunt: quędam dillatantur quia sunt nimis constrictę, quædam aliter, sed ob naturales causas, omnes: hæc autem forma per accidẽs est causa eius motus, quia cùm hæ partes ita ad sese positæ sunt, aptè sunt positæ causæ naturales. Itaque qui horologium facit aut rotam, admouet quam potest aptè efficientes causas accipientibus, non tamen tribuit principium per se mouendi sed per accidens. Quod si lapis angulatus aut rotundus celerius descendit, quã planus, & multa quę in aquàm immergerentur, ob planitiem quiescũt super aquã, vt quidam antiqui terram dicebant, non proinde figura est natura (non enim potest qualitas esse substantiæ natura) nam lapis siue angulatus, siue rotũdus, siue planus, sua natura descẽdit, figura, solum facit vt descendat celerius. Itaque figura principium est non mouendi omninò, sed mouẽdi celerius, velut de formis arte factis diximus. Plana autem figura principium est & causa quiescendi in iis quæ si aliam figuram haberent mouerentur, non tamen proinde est natura, quia non est principium eius quietis, quæ est actio rei quiescẽtis. (Huiusmodi diximus esse quietes corporum in suis locis.) Non enim quod innatat ob planitiem, quiescit quia vult retinere eum locum, sed quia detinetur vi aquæ. Quies autem violenta non est actio, sed priuatio motus, facta vi prohibentis. Ergo cùm dicitur in definitione principiũ motus & quietis, intelligi debet eius motus & quietis quæ opera rei eiusdem cuius sunt aguntur. Is non contenti vulgares

enarra

enarratores disputant, an figura arte facta differat numero, & vt illi dicunt realiter à substantia naturali, vt exempli gratia, an figura differat à re figurata, & domus sit aliud à lateribus, lapidibus, & lignis ita positis. Sed quorsum hęc? quorsum metaphysica inserantur? Ratione cõstat differre has formas à substantiis, sunt enim accidẽtia, & pertinent ad diuersas cathegorias, verũ numero non opus est vt differant, neque sanè meo iuditio differunt, quia non vidẽtur intelligi posse separata. Quis enim potest intelligere figuram quę nullius sit figura? fuit quædam secta vocatorum nominalium, qui adeò omnia vnum esse putabãt, vt vix rationes rerum diuersas separarẽt, sed incipientes à nominibus, à quibus sua secta accepit nomen, omnia ferè easdem res significare dicebant, connotando (ita locuntur) diuersa. Velut nomen hoc quantitas significare substantiam connotando modum talem: ita de aliis omnibus quæcunque non putabant diuersa esse numero. Qui hac ratione peccabãt, quòd ea quę non differunt numero putabant necessario contineri alia in aliorum rationibus, & ab eodem nomine vtrunque significari. Fuit alia secta vocatorum realiũ, qui multo grauius mihi errare videntur, quia putabant ferè omnia quæ non sunt ratione idem, differre numero. Proinde faciũt accidentia omnia vt regulas quasdam, & ipsos respectus vt quędam suboriẽtia, quasi entia separabilia mõstra rerum. Arist. medius inter has sententias procesit, ponẽs omnia quorum nõ sunt eædem rationes, diuersa, non tamen omnia numero, sed quædam, nimirum accidentia quà accidẽtia, non sunt entia, sed entis entia, hocest modi quidam ipsorũ entium. Verùm hæc ratio accidentis non omnibus æquę inest. Sunt enim quædam accidentia quę proprius accedunt ad naturas entium, etsi sunt accidentia, quę scilicet insunt aliis. Et tribuunt appellationes denominatiuas, tamen sunt separabilia à substantia, differũt enim numero: pleraque autem sunt ratione solũ diuersa, & inseparabilia. Quæ sint hæc & quæ illa, præter rem esset modò lõgius recensere, dicã dante Deo alibi: nunc illud vnum dicam, figuras arte factas ratione solum differre à substantiis, quia nõ sunt separabiles; finge enim simitatẽ sublato naso, & ridebis, sed de iis quæ præter rẽ dicuntur hæc sunt nimia, de motus definitione disputatum est satis.

Figura an differat à substãtia. *Nominales & reales.*

Qui differant Physica à Mathematicis. 12

ARist. cap. 2. lib. 2. de physica doctrina docet, differre Physicã à scientiis Mathematicis, quòd physica nõ separat à materia, Mathematicæ autem separant, quidam obiiciunt, videri contrà habere. In primis nulla scientia videtur posse esse, nisi de separatis à materia: nam quæ habẽt materiam sunt singularia, de singularibus autem non est scientia. Deinde Mathematicæ non videntur esse de separatis à materia, sunt enim de magnitudinibus & numeris, hæc autem sunt in insensibilibus, & habẽtibus materiam. Deinde, physica agit de motu generatim, Astrologia de motu cœli, ergo magis separat à materia physica quàm astrologia. Naturalis scientia, vt dicitur cap. 1. primi de cœlo, agit de corpore, extremitate, lineis & punctis: tamen perspectiua non nisi de lineis visoriis, tãto autem vnumquodq; est magis separatum à materia, quanto est magis vniuersale, ergo magis separat physicus quã perspectiuus. His obiectionibus ita occurritur. Nulla scientia est quę non separet ab hac materia, quia nulla est de singularibus, atq; ita physica non est de a. aut b. corpore, sed de corporibus, atque ita abstrahit ab hac materia, non tamen omninò à materia, quia considerat in materia quidam, quod neq; intelligi sine materia potest, naturam scilicet, quæ ad materiam se habet, vt simum ad nasum: Mathematicæ verò scientiæ & si considerent quæ in corporibus & in materia sunt, non tamen considerant naturam, sed passiones quasdam, quæ etsi esse non posint nisi in sensibilibus, tamen definiri sine materia & intelligi possunt. Porrò in mathematicis scientiis, quædam sunt merę mathematicæ, quæ considerant passiones nullius materiæ, sed separatas à materia (hæ sunt Arithmetica, & Geometria) quædam sunt quæ considerant pasiones in quadam materia, vt Astrologia & perspectiua: quæ hac causa medium tenere dicuntur inter meras mathematicas & physicam. Sed cur potius mathematicis annumerantur quam partibus physicę? Videntur

Respondetur obiectionibus.

dentur enim vt diximus, minus separare à materia quam physica? Minus quidem non separat. Nam physicæ sunt multæ partes: tota quidem agit de corpore naturali, quædam eius partes de quibusdam corporibus, vt de cœlo in libris de cœlo, & in Astrologia de eadem re agitur, sed nō eodem modo, atque adeò ob hunc modum astrologus magis abstrahit. Nam physicus cōsiderat naturam cœli, & naturalē causã eius motus: astrologus non curat an cœlũ moueatur vi propria, an ab intelligētia, an sit simplex an compositum, sed cōsiderat motus ipsos seorsum, obseruans distātias & loca, deposita cura naturæ. Quanto ergo minus separabile est simũ quàm curuũ à materia, tanto minus separabilis est natura quã motus, aut magnitudo, figura, aut numerus. Itaque omnes mathematicæ separãt à materia magis quã physica. Arithmetica quidē & geometria omninò, quia considerãt res separabiles, & in nulla materia considerant: astrologia autem ob modum considerationis, quia & si contemplentur res quasdam naturales, tamen contēplatur in eis passiones cogitatione separabiles, non considerans naturam: perspectiua, mihi videtur proprius accedere ad physicam, quam astrologia: non enim tam curat astrologus naturam cœli, quam perspectiuus naturam radiorum visualium. Proinde Arist. de perspectiua seorsum dixit, perspectiua autem mathematicam quidē lineam considerat, sed non quà est mathematica, sed quà naturalis. Itaque Arithmetica & Geometria considerant mathematica mathematicè: physica considerat physica physicè, astrologia physica mathematicè, perspectiua mathematica physicè.

13 ## De numero causarum.

ARist. lib. 2. de physi. doctr. definita natura mox disserit de causis, dicēs causarum esse quatuor genera, formam, materiam, finem, & quod efficit. Quidam obiiciunt non esse hunc locũ disputationis de causis, quippe quę ad metaphysica pertineat. Porrò oportuisse cōmunem definitionē causæ dici vt naturæ, siquidē causæ nomem vniuocum est. Deinde videri aut nō esse tot causarum genera, aut esse multò plura. In primis materia non videtur esse causa, nã causa videtur esse quę facit id cuius causa est, at verò materia nihil facit, sed patitur solùm, potest ergo affici ab alio esse autē causa alterius, non videtur posse, quòd nullius efficatię est. Cum etiã hoc eodem argumēto fit, vt neq; forma neq; finis sed solũ efficiens sit causa. Nã forma rei nō facit rem, sed fit cũ re, vt forma Petri cum Petro: finis verò posterior est re, causam autē oportet esse priorem quare res nō fit à fine: nō ergo sunt hæ causarũ differentię, si modò causa dicitur vt aliquid faciēs: videtur aũt ex cōmuni hominũ sermone ita dici, quia ad aliquid dicũtur causa & effectus. Quod verò in genere ad aliqd refertur ad effectũ, videtur esse faciēs. Certè disputatio de causarũ natura & generib⁹ ad methaphysica pertinet perse, ad physica verò nō perse, sed ad inuestigandas causas eorũ quæ secundũ naturam cōtigunt, quę non possunt methodo inuestigari nisi per earũ genera. In metaphicis ergo agitur de causis velut de aliis omnibus entis principiis, hîc verò petũtur hęc ex prima philosophia ob res naturales: neq; mirũ, cũ enim prima philosophia sit de ente, cōtinet prĩcipia omniũ scientiarum. Quare disputare ex professo ac longius de causis fortasse sit methaphysicum: sed age, quoniam Arist. ansam pręstitit, disputemus. Nam etsi non sit ad rem, non erit inutile. Causam non definiuit Aristo. benè fecit profectò. Nam vt Galen. primo de differentiis pulsuũ dicit, nihil inutilius quã cùm res ex ipso nomine potest intelligi diffinitione vti: nimirum nascuntur ex definitionibus multæ controuersiæ, quę possent deuitari: velut modò ne sine definitione trãsigant, dicũt quidam causa est id ad quod aliud sequitur, moxque iubent id intelligi sano modo. Hæc vt audio, suspicor definitionem ægrotare, atque ita est profectò. Nam si causa est id ad quod aliud sequitur, certè fit vt omnia principia sint causæ, nã priuatio est id ad quod sequitur forma perse: fit enim perse album ex non albo, nō album ergo erit per se causa albi. Quo ergo pacto definiri possit causa? Certè non succurrit alia potior ea quam Aristo. insinuauit in initio partitionis, dicēs tot esse genera causarum, quot sunt genera eorũ, ex quibus capi possunt responsa, cùm quis interrogat cur aliquid fiat. Ergo causa rei est illud qđ cōmode respōdetur interrogãti cur fiat

aut

aut factum sit hoc. An hæc sit ratio vniuoca, an ipsum etiam cur contineat rationes diuersas, an vnicam non curo. Vtcunque, hæc descriptio continet omnes causas. Si causæ nomen est vniuocum, nomina omnia in hac descriptione capientur vniuocè, sin analogicum, in descriptione etiam analogicè significabit particula cur. Hinc accipit Arist. numerum causarum, nō sanè ex numero interrogationū, vt quidam absurdè dicunt, sed ex numero responsionum, quæ huic vni interrogationi, cur fit aut est hoc, cōgruunt. Nimirum interroganti cur factus est homo, videtur responderi posse quia ab homine, aut quia ex humano semine & sanguine, aut quia accepit animum humanum, aut vt generaretur simile & produceretur species. Prima responsio continet causam facientē, secunda materiam, tertia formam, quarta finem. Non videntur autem plures responsionum modi posse congruere huic interrogationi. Si cui videtur ęque propriè responderi ab iis omnibus, ille ponat causam esse genus quodam, & vniuocè dici: cui autem videtur proprius respòderi per finē & id quod facit, quam per materiam & formam, aut vtcunq; non esse ęque proprias responsiones, ponat esse analogum. Licet autem cuiuis vt lubet opinari, non esse autem in ratione causæ vt faciat aliquid constat ex dictis; quia proprissimè respondetur per id quod non facit, vt interroganti cur gesserunt bellum, respondetur vt imperarent. Certè imperium nō fecit bellum (gestum enim est bellum antequàm imperarent) nihil ergo prohibet esse quatuor genera causarum. Et si vnicum sit quod dicatur quia facit. Sed quo pacto imperium causa belli fuit antequam esset? An potest alicui rei inesse ratio causę antequam sit? Certè facere nihil potest quod nondum sit, nam facere aliquid semper est actio suppositi: quoniam autem esse causam, non semper est facere, potest aliquid, causa esse anteq̄ sit, id quod patet, in materia, forma, & fine. Nam materia & forma quà causę, sunt priores toto, quà entia posteriores, quia sunt entia in toto & non aliter, finis verò quà res, est sæpè tempore etiam posterior quàm res, tamen quà causa semper prior. Sed dices nullū esse potest accidere prius, quam esse simpliciter, ergo esse causam nō contingit, antequam esse rem. Certè esse rem aliquam non potest contingere (siue sit esse substantiæ siue accidentis) antequā esse omninò: tamen ratio causæ non est ratio entis, sed principii, quia omnis causa quà causa est principium, principium autem, est principium antequàm res, quia sunt in rebus, & nō antea. Itaque concedēdum est causam quà causam priorē esse eo cuius est causa, vt rē aūt posse esse posteriorē. Vnde rursum constat, esse causam nō esse efficere, nihil enim potest efficere anteq̄ sit. Sed adhuc supsunt multæ obiectiones in primis semen & sanguis & elemēta prima sunt causæ hominis, non quidem facientes neque, vt forma neque vt finis, superest ergo vt sint vt materia, sed materia est qua immanēte aliquid fit, ea autem non manēte in homine, quia semē & sanguis intereunt cùm gignitur homo, elementa non manere in cōcretis corporibus indicatum est cap. 1. primi controuersiarū medicarum, non ergo sunt hæc vt materia. Superest ergo iam alia ratio causæ. Prętereà qui consilium dedit, & consilium, & qui expilauerunt templum, & expilatio, causæ sunt belli quod geritur, non tamen materia neque forma neque finis, sed neq; efficiens. Nam efficiens saltem causa dicetur vt quæ faciat, quis autem dicat eū qui consuluit, aut eos qui expilauerunt templum, fecisse bellum, ac nō potius eos qui, quia suum templum expilatum est, gesserunt bellum? Expilatio enim & consultatio actæ sunt multo ante bellum. Videtur ergo esse aliquod causæ genus pręter quatuor. Prætereà sunt multæ aliæ partitiones causarū præter hanc. Nā dicimus causam aut esse præcipuam aut instrumentū, videtur autem instrumētum esse prædicta genera. Prætereà causa quædam est proxima, quædam remota, quædam per se quędam ex accidenti: quędam vt quæ est causa, quædam vt quę potest. Porrò nauta absens est causa subuersionis nauis, nullo autem quatuor generum. Pretereà natura & ars & fortuna, & casus, & locus, & vacuum, & tempus, & infinitum dicūtur ab Aristo. esse causæ. Difficile autem sit dicere in quo dictorum generum sit horum quodque. Quare videntur multa deesse partitioni. His obiectionibus ita occurritur. Dictum est anteà cap. 9. posse substantiam aliquam substare formę nobiliori vt materiam duabus formis tenentibus eandem

Obiectiones.

Respondetur.

dem materiam, & materiam secundam nunc esse substantiam habentem primam materiam & actum, nunc esse ipsam materiam primam cum quibusdam accidentibus, quæ accidentia & si materiæ primæ non insint sed toti, quia tamen ex eo fluxerũt, cuius primam materiam cœpit afficere forma posterior, cum materia annumeratur. Ergo ad rationem materiæ opus est vt maneat in re cuius est materia, non tamen vt maneat actu, vt manent prima materia, & caro, & ossa, in homine, sed satis est si maneant virtute, vt manere elementa probauimus. Et vt manent cibi in sanguine, & vinum in aceto, & succus vuarum acerbarũ in vino, & semen in embrione. Omnis enim materia est inqua fit forma & ex qua fit res, & si cum materia est quodam suppositum, & substãtia, & forma est accidens naturale, vt candor aut calor: non tam dicitur fieri ex hoc quàm fieri hoc. Quia accipere illam formam nõ dicitur fieri simpliciter, sed fieri aliquid, velut dicimus nõ ex homine fieri album: sed hominẽ fieri albũ, sed vtcunq; siue inq̃ materia sit quæ dicitur fieri hoc, vt hõ fit music⁹, siue ex qua hoc, vt ex tabulis mẽsa, ex materia prima & ex ossibus, & neruis hõ, ex ære statua, vtrunq; inq̃ materia fit, certè ex ea fit res cuius est materia. Nam ratio & definitio id indicat, quę resoluitur in formam & materiam, vt candidũ est corpus cum candore, & statua ærea, æs ita formatum. Atque adeò ratio materiæ, quæ à nulla materia abesse potest, est, vt ei insit forma, & ita res fiat, & vt sit ex quo immanente aliquid fiat. Itaque omnis materia est inqua est forma, & ex qua fit res, & manet in toto. Nam statua fit ex ære, quia æs recipit formam æris, & ex lapidibus fit domus, quia lapides accipiunt hũc ordinem, quà est forma domus: atque adeò siue materia maneat incõmutata, vt ossa, & nerui in homine, & in domo lapides: siue commutata, secundum substantiam, vt elemẽta, siue secundum accidentia commutata, secundum substantiam incommutata vt aqua & vinum cõmista: materia est vnumquodque, quà manet. Manet enim quodcunque horum actu aut virtute. Si enim omninò corrumpitur, vt neque virtus aliqua eius maneat, non est materia, sed est terminus à quo generationis, velut priuatio ex qua fit forma: non tamẽ priuatio est materia formæ. Ergo elementa sunt materia concretorum, & medicamenta simplicia Theriacę, & cibi sanguinis, & vinũ aceti, quia non omninò corrumpũtur hæc, dum illa fiunt, sed seruantur quædam eorum accidentia. Semper enim id quod naturaliter ex alio fit, retinet aliquid illius ex quo fit, habetque naturam analogã cum illo, velut embrio cũ semine, homo cum embrione. Proinde semẽ est materia embrionis, embrio hominis, homo cadaueris. Tamen si Deus faceret ex lapide hominem, lapis nõ esset materia, sed esset Christiam quod theologi vocant creare, & potentiæ nõ minoris q̃ facere ex nihilo. Materia quæ dicitur, vt circa quam solùm, ita vt nulla forma in ea fiat, neque ex ea aliquid, analogia dicitur materia, non proprie, velut pericula bellica, & iniuriæ, sunt belli materia analogia. Quædam autem eorum quæ dicuntur materia alicuius circa quã, sunt aliorum materia inqua, aut ex qua. Vt corpus humanum est materia medicinæ circa quam ea ars versatur, & in qua curationis (curatur enim homo) & ex qua sanitatis: fit enim homo sanus, & ex homine ægroto homo sanus. Ergo respondemus primo argumento semen sanguinẽ & elementa prima esse materiam, & manere vt manent. Sed ne in exemplis hæreas lubet monere, semẽ alia ratione esse causam efficientem, quà scilicet habet vim effectricẽ generationis. Proinde Arist. sequutus suã sententiam, scilicet præstare generationi virile semen solum vim. cap. 32. de physi. doct. inter causas efficiẽtes illud posuit, dicens, semen autem, & medicus, & qui cõsilium dat, & vniuersim qui facit, omnia hæc vnde principium mutationis, aut status aut motus. Sed venio ad reliqua argumenta. Velut in dicatum est non esse opus quo aliquid fit causa vt faciat, ita non est opus quod fit in eo genere quod efficiẽtiũ dicitur, vt faciat id cuius est causa, sed vt faciat illud aut faciat aliquid, vnde illud capiat initium. Proinde Aristo. non appellat hoc genus causæ facientis, cùm vult totũ genus talium causarum comprehendere, sed describens dicit, aliud genus causarum est vnde principium mutationis aut quietis. Itaque est qui consilium præstat, nõ facit id quod fieri consulit, in hoc tamen genere causæ est, quia facit vnde res initium accipit, & antecedentes assertiones causæ

sunt

sunt in hoc genere, quia cōclusionis assensio ab earum assensione initium cap. Dices hac ratione videri omnes causas esse in hoc genere, quia ab omni causa capit initium res. Certè ab omni causa capit initiū sed non eodemmodo. Nam causæ aliorū generum sunt vt causæ priores re, & principium illis præstant, vt indicatum est, nō tamen vt res quædam: immò hac ratione finis est potestior, materia & forma simul: tamen quod est causa alicuius in genere facientis, est quidā quod necessariò est prius effectu, & vt res & vt causa, pręstatque illi ita initium. Ergo respondemus, consiliū, & expilationes templi, perse esse in hoc genere causæ, quia etsi non fuerunt perse bellum, tamen per se præstiterunt initium bello, quod inde fluxit, vt res quędam posterior. Atque hæc est ratio causæ huius generis. Vnde fit, vt nihil possit dici causa alterius in hoc genere, quod non sit substātia, seu essentia, prius illo. Quare meritò nostri theologi negant in diuinis personis patrem esse causam filii, & in symbolo dicitur genitum non factū. Aliis ferè omnibus obiectionibus respōdetur eodemmodo. Scilicet nullam aliam partitionem causarum esse præter hāc præcipuam, sed esse illas omnes differentias in his generibus. Illa quidem causa aut est pręcipua, aut instrumentū, cōtineturq; in solo genere efficientium: reliquę in quouis quatuor generum. Nam neque materia, neque forma, neque finis, vtitur instrumento, sed sola causa quæ facit, velut faber lignarius dolabra, & corpora naturalia omnia, cùm alia mouent, vtūtur suis virtutibus vt instrumentis, velut ignis vrens vtitur calore. Cū autem non alia mouent, sed ipsa persé abeunt ad ea quæ sua natura amat, vt terra descendit, & frigescit aqua, & sanescit ægrota caro, nullis instrumentis indigent vt nuper indicatum est. Itaque omne instrumentum est in genere facientium causarum. Potest verò tam materia quam forma, finis, & efficiens esse, suo quæque genere, causa proxima, aut remota, per se, aut ex accidenti, atque quodcunque horum, plus aut minus, & potest dici quod actu sit, aut quod esse posit, velut in commentariis satis explicatum est. Porrò naturam in causis efficientibus esse indicatum à me est, quo etiam in genere artē esse constat, siquidem est habitus cùm ratione factiuus. Fortunam & casum Arist. ponit in iis à quibus principium motus, idest in efficientibus. Locum & tēpus dicit esse vt quæ contineant, atque adeò velut formas: infinitum, vt materiā, vt quod contineatur. Vacuum antiquorum quidam ponebant vt materiā, quidā vt causam effectricem motus. Arist. omninò non esse vacuū probar. Superest obiectio de absente nauta, ille quidē physicè nullo in genere videtur esse causa, sed dicitur causa euersionis quia non fuit causa conseruationis. Mirū enim si medicus causa est mortis, omnium eorū qui eo absente moriūtur. Alia ratio est in phylosophia morum. Si enim nauta potuit & debuit adesse, & medicus, causa perse putatur euersiōis, aut mortis, perinde enim est ac si consulto abfuisset, ille vt euerteretur nauis, hic vt moreretur ægrotus. Tamen ad physicam rationē causæ nihil refert, siue cōsultò recesserit nauta aut medicus, siue casu, siue teneretur siue nō, hęc enim sunt morales cōsiderationes. Huiusmodi ergo causa nō est physica. In alia aūt philosophia est causa efficiens, nā qui non seruauit nauē euertit, & qui nō pauit occidit. Vnicū superest argumētum quod vt disputatione dignissimū, seorsum volui per tractare Plato pręter dicta genera posuit in causis exēplar, dicens Deū ętérnas rerū species quas in seipso haberet intuētem, rerū hanc vniuersitatē fecisse: esse ergo illas ęternas species, harū orientium & intereūntium causas, & exēplaria. Aris. vt separatas à rebus species (suspicor) refugeret, exēplarem causam deuitauit, cāque cū forma nominauit, insinuās eandē causam esse formā & exēplar. Nimirum ipsa forma est vtrunq; forma separata est exēplar: in materia est causa formalis. Aristo. ergo quia nolluit ponere formas separatas, exēplaria substulit. Cęterū cùm nobis indicatū sit. 8. li. de phys. doct. omnia corpora habuisse initium tēporis, factaq; esse à Deo aliquādo, cùm nunquā antea fuisset, cōstat Deū ab ęterno velle facere, hęc quę aliquādo fecit, ab ęterno ergo agnoscit (nō enim vellet quę ignoraret.) Sūt ergo penes deū ab ęterno omniū rerū notitię: & exēplaria ergo rerū, quæ intuēs De⁹, res has expressit, velut pictor quicqd velit exprimere, externā aliq̄ imaginē intuetur, vel internā, q̄ ipse sibi antè mētis aciem proponit. Sed mittamus cosmopœiam quādoquidē Aris.

eā negauit,& generatim de caufis difputemus. Si pictor propofitā intuens imaginē, quā poteft facit fimillimā, propofita imago caufa eft vt talis fiat. Nā fiquis interroget cur fecit talē cū nō foleat, rectè refpondetur quia hāc cōtemplabatur cū faceret. Cur puer hęc & talia fcripfit? quia ludi magifter tale ꝓpofuit exēplar. Prætereà fiqs roget quare greges Iacob genuerunt variegatos fœtus, rectè refpōdetur, quia in coitu vefpertino cōtemplabātur virgas variegatas. Refpōdetur ergo his omnibus interrogationibus per caufam. Sed ꝑ quod caufæ genꝰ? Nō certè imago q̄ ante oculos habet pictor, neq; exēplar quod fcribēs puer neq; virgæ quas greges Iacob, fuerūt materia imaginis, literarū, aut fœtuū: fed neq; imago imaginē facit, aut litera literā, non enim funt res naturales, vt pofsint facere fimiles, neq; virgę agnos. Ad genus caufæ formalis videtur Arift. exēplaria referre. Sed re vera à nullo abfunt lōgius. Nā forma eft pars ipfius rei, exemplar eft externa caufa. Conftat ergo eodē argumento, quo Arift. 4. lib. de phyfi. doct. probat locum, neq; effe materiā, neque formam, exēplar neque effe materiā neque formā, videlicet quia eft feparabile à re, & eft extra ipfam rem. A fine etiā abeft longifsimè. Quia res eft propter finē, non eft aūt propter exēplar, fed exēplar propter rem. Ergo exemplar nō eft finis, quia finis pofterior eft re, nō eft materia aut forma quia hæ funt internę, exēplar autē externum, folum videtur effe poffe in genere efficiētiū: quia hoc eft prius & externum. Proinde ego ita ftatuo: exemplar caufam effe, & minimè effe formam, materiā, aut finē, fed aliud genus caufæ effe pręter dicta quatuor: Atq; effe quinq; caufarū genera, aut referri ad genꝰ caufarum (quod nō minus probabile eft) quod efficiens appellauimus, non ꝙ faciat (neq; enim hanc rationē illius generis caufæ effe diximus) fed ꝙ cùm fit prius re, initium ab eo res accipit. Ergo imago hominis quodāmodo facit hominis figuram exprimi, & exēplar ꝙ propofuit ludi magifter fecit hęc à puero fcribi: velut Arift. dicit eum qui cōfilium dedit, feciffe bellum: quo autē pacto fecit nifi mouendo eos qui fecerunt? conftat autē fimile effe cōfulere vt fiat aliquid, & docere quo pacto faciendum, fit atq; omninò dirigere faciētis cōfilium: id verò facit etiā exēplar mouet fcilicet, & dirigit volentē facere. Id verò fi facit exēplar, cōftat caufas naturales quæ fine cognitione operis operantur, nō poffe vti exēplari: quare cùm vis generās nō vtatur cognitione, nō puto virgas fuiffe gregibus Iacob caufam exēplarem, fed alia ratione mouiffe: eam autem rationem alibi dante Deo dicemus oportunius. De caufarum generibus hæc funt fatis.

An forma fubftātiæ fit pręcipuū principiū faciendi in rebus, & an fecundum multitudinē illius fit cuiufq; vis & efficatia. 14

DE caufa phyfica quæ facit, difputata funt multa à phyficis iuniorib⁹, quāq̄ ab antiqs dicta funt pauca Arift. dicit in rebus naturalibus, & earū cōmutationibus eandē effe caufam efficientē & formā, nimirū formā parentis, fimilē formæ ꝓlis, effe caufam effectricē prolis. Proinde pleriq; ita ftatuūt formā cuiufq; rei naturalis effe ei⁹ naturā, & proinde principiū primū & præcipuū motus & mutationis. Tamē hoc nō trāfigitur fine multis cōtrouerfiis, & in fingulis multis opinionib⁹. Quidā putant nihil effe in rebus quod reuera faciat aliqd præter deū, fed hunc facere omnia, facere aūt hoc hîc, illud illîc, vt res ad fe ipfas pofitæ funt. Vbi fcilicet igni admouētur ligna facere ignē, vbi infpergitur aqua, facere carbones: Itaq; totā vim agēdi effe penes Deū, in materia autē potētiā vt fiat hoc & illud. Sed quid præftāt res admotæ, ita aut aliter, vt hoc aut illud fiat? Aut cur Deus facit hoc illis ita habētibus, illud habētibus aliter? Refpondet, quia ita pepigit cū rebus. Itaq; tollūnt hi oēm naturā, & ꝓ natura ponūt pactū Dei. Breuis omninò philofophia, nō eft enim quod laboretur, dicere, q̄d fit natura, aut quo pacto fit natura principiū motus, nēpe oīa ꝓblemata redigentur ad voluntatē Dei, & pactū, & ad pacti cōditionē: vt quidq̄ fiet, ita pactum erit. Nā hi nō tātum tollunt vim generādi formas fubftātiarū à rebus (hoc enim fortaffe nō effet adeò improbabile) fed & vtcūq; mouēdi. Et vtcūq; aliquid agēdi hæc enim eft fumma ratio, nihil eft ꝙ pofsit quidq̄ agere ni Deo iuuante, fin autem Deus iuuat, non opus eft aliud quidpiam præter ipfummet in opus incumbat: Gabriel.

Deus

Deus enim nullius indiget adiumento. Nihil ergo est quod faciat nisi Deus. Constat verò hoc argumentum non de sola substātiæ generatione esse, sed & de omni mutatione. Non enim solum sine Deo nō possumus substantiam gignere: sed neque moueri, neq; esse quidē, siquidem in eò mouemur & sumus. Ego quidē si disputationis gratia vellem pro hac assertione respōdere, non dicerem has aut illas mutationes fieri ob pactum (ne omninò rerum naturas tollerem) sed ponerem in rebus potentias varias, ita aut aliter patiendi. Nam intelligi potest vim faciendi omnia esse in Deo, tamen potentias vt omnia fiant, esse in his corporib⁹. Illud ergo facere semper Deum, quod in materia natum sit fieri secundum naturam: natura autem fuerit in potentia passiua, & fiet semper id quod erit in potentia proxima. Itaque fiet ignis forma in ligno non quòd ignis vim habeat vrendi admotum lignū, sed quod lignum igni admotum potentiam proximam habeat vt vratur, & ipsa rerum cū rebus cōiunctio aut separatio fuerint velut dispositiones potentium recipere: fueritque miraculum, non cū Deus fecerit aliquid prȩter pactum (nam qui potest facere aliter quam pepigerit?) Sed cum fecerit aliter q̄ natura comparatum sit fieri. Hæc ratio respondendi fecit ferè probabilem hanc assertionē, quæ nihilominus falsa est. Nam si nulla vis faciendi est nisi in Deo, nulla causa potest esse libera præter Deum, tollitur ergo omnis ratio culpæ & meriti, quare & pœnarum & prȩmii, & tota philosophia morum & rerum publicarum leges, ac deniq; negabimus quod nobis ipsis sentimus liberas scilicet actiones. Id verò ita fieri constat. Nam si quidquid fit à Deo fit iusta potentiam accipiētis, aut ipsa res quȩ accipit, aut circa quam aliquid agitur, sese deducere potest ad hāc potentiā, & ipsum sese deducere erit agere, velut si erat remotum accedere, sin autem nō potest sed patitur cùm admouetur, & cùm actio posterior succedit, certè nulla libertas apud ipsum est, sed vt horologium pulsat vt afficitur, ita causa quæcunque. Dices causas liberas moueri à Deo, nō vt tunc sunt natæ moueri (natæ enim essent aliter) sed vt moueri vollunt, & hoc ipsum velle esse culpam, velut qui arripit aliena, mouetur à Deo vt ipse vult: velut certè omnes theologi dicunt, eum etiam qui peccat iuuari à Deo ad rem ipsam exequendam vt vult, ita illi dicent à Deo solo moueri. Sed illud velle ita moueri, aut est agere aut pati: si agere, is ergo qui vidit agit, quare nō omnis vis agendi est penes primam causam: sin pati, passionis illi⁹ causa effectrix sit De⁹: Deus ergo non tantum iuuerit furem vt ita moueatur, sed fecerit etiam velle furari, quod est impium. Constat ergo non solam primam causam esse efficientem, sed & alias etiā quodāmodo. Quod si quis diceret, solis animalibus liberis dedisse Deū vim faciendi, aut etiam solam vim volendi, reliquis autem solum potentias accipiēdi: pepigisse autem cum his, se facturū, vt essent tunc natæ recipere, cū illis vt sibi agi vellent; dūmodo essent etiam secundū naturam apta recipere (nō enim si ego nunc volare vellim, teneatur Deus pacto facere vt volē (nō sanè posset euidenter refutari, sed nondū est satis probabile, neq; cōsentaneū. Nā illi dū vollunt pro Dei potētia respondere, bonitati & benignitati detrahunt. Id verò ita constat. Quo aliquid melius est, eo plus se effundit, & eò similiora sibi esse reliqua vult, si autem Deus rebus nullam faciendi vim dedisset, sed accipiendi tantum, profectò illȩ essent viliores, & ab ignobilitate materiæ recessissent minus, quare diuinȩ dignitatis min⁹ essent participes. Cū ergo Deus infinita bonitate sit, nihil boni denegauit rebus, quod illæ natȩ essent recipere. Aut ergo mōstrandū est repugnare rerū naturis habere vim agēdi idq; per sese impossibile esse, atq; proinde Deū non potuisse tribuere, aut concedendū tribuisse. At verò nō video, cur nō potuerit Deus, vt ipsum esse rebus cōmunicauit, ita cōmunicare & ipsum facere. Certè hoc dissertissimè probauit Plato in dialogo de natura dicēs, bon⁹ erat, bonus autem nulla vnq̄ de re inuidia tangitur, ergo cū liuor ab eo esset alienissimus, omnia sibi quantū fieri poterant simillima fieri voluit, hæc Plato. Ex quibus constat deū vim etiā faciendi dedisse rebus, similiores enim erunt ita Deo, quam si tantū paterētur. Deum nulli inuidere secundo cap. 1. Meth. Aristo. etiam vsurpauit dicens, sed neq; diuinā naturā inuidā esse cōuenit. Poëteq; multa mentiūtur. Itaq; nō solū Deus facit quecūque fiunt, sed res etiam naturales sunt sibi similium effectrices, & mouēt

aliæ alias: an verò hæ solæ possint mouere alias aut gignere, Deo nihil faciente proximè & perse, est controuersia. Dixi proximè ac perse, quia non est dubium nullam causam esse quę non pendeat à prima, & secundum esse, & secundum operationes oēs; alioqui nō est mundi huius ordo, neq; vnitas, neq; perfectio, sed sine ordine multa & imperfecta, quasi multarū rerum incondita cōgeries, neq; est Deus prima causa) nā in his, quæ nō habēt ad sese ordinē, non est primum neq; posterius quare neq; est Iupiter non enim iuuat, sed est vnum quodq; sibi Deus, quia est sibi sufficiēs. Est aūt hoc summè absurdum. Sed à quo omnia facta sunt (facta aūt esse aliquādo alibi monstratū est) ab hoc seruantur, & ab hoc iuuantur. Nā ipsum esse in iis quæ nō sunt perse pendet ex fieri, & ipsum operari ex ipso esse: nihil autem est perse præter Deū: ergo nihil seruatur aut operatur perse prę ter Deum. Nā nihil potest inesse alicui magis quā illud propter quod inest, quia propter quod vnū quodq; tale est illud magis tale est. Si ergo ipsum fieri est causa vt sint & ipsum esse, vt operentur, nō potest magis inesse illis operari q̄ esse, neq; esse quā fieri. Nihil autē fit perse, nihil ergo quod fit est aut operatur perse. Præterea quod alicui inest perse non potest amitti, nihil est autē, quod non possit amittere ipsum esse nisi quod nō accepit, nihil ergo quod factū est, est perse, quare neq; operatur. Nihil ergo operatur nisi iuuetur à Deo, estq; Deus vt Arist. dicit. 2. primi meth. omnib⁹ tum causa tum principium. Sed dices, cur non dedit Deus rebus esse & operari independens, vt essent meliores, & illius similiores? Velut enim dicebamus similiores Deo esse res, si vim habēt faciendi aliquid, quàm si potentiā solū vt accipiant, ita profectò sint similiores, si ipsum esse & vim agendi independentē habeant. Certè non potuerunt res factæ istud esse aut istā vim accipere: nihil enim quod ab alio fiat, potest perse subsistere, independens ab eo à quo fit, nisi sit actu aut potentia æque perfectum atque ipsa causa. Potest enim morus à moro genita sine illa seruari, quia actu habet naturā æque perfectam, atque illa, quare non ea indiget, & potest pomū cadens ex arbore sine ea seruari, quia cùm vim seminalem habeat, potentia habet naturam ipsam arboris: tamē quę à rebus perfectioribus, & ob perfectionē maiorem vim producēdi eminenter habentibus, fiunt, illis etiā indigent vt seruentur, velut sanè indigemus omnibus vniuersalibus causis, quarum cōcursu facti sumus, vt seruemur. Si ergo aliquid posset fieri à Deo, cuius esse & operationes ab eo non penderent, illud profectò natum esset habere naturam Dei, eā autē nihil potest habere quod factum sit, nihil ergo factum potest aliter esse, quàm pendens à Deo secūdum fieri, quia ab eo factum est, & secundum esse, quia ab eo seruatur, vt vmbra à corpore, & species quæ recipitur in speculo à facie intuētis: atq; vt si is, qui intuetur, tantum se substrahat, species perierit: ita si tantum suam faciem auertat Deus, homo abierit in suum cinerem, hoc est, in priuationē hominis, atque adeò ipse cinis in nihilū. Velut ergo illa speculi facies nullius sensum mouere potest, nisi adsit illi homo, ita res nulla facta potest quidq̄ agere, nisi illam Deus iubet. Nihil ergo quod secundum naturā agatur, à solo Deo agitur neq; sine Deo, sed à rebus naturalibus deo iuuante. Non quidem ꝙ Deus non possit solus facere quiduis (si enim res omnes à principio fecit ex nihilo, cur non possit solus facere ex materia? neq; quod indigeat naturalium rerum adiutorio, aut quod sit ei facilius ita facere quàm omninò (nā qui ex nihilo potest, omnia ęque potest) sed quod res indiguerint vi agendi vt meliores essent, bonum autē par fuerit bona omnia facere: Ita agunt corpora naturalia iuuante Deo, sed quà hoc eueniat duplex est ratio. Aut enim mouet oīa, mouendo primū corpus & p hoc alia ordine, aut mouēdo singula perse: velut qui mouet decē lapides positos ordine, potest mouere oēs mouendo perse solum primum, aut attingendo singulos, mouēdo quę singulos per se. Quibusdam videtur Deum non per se se iuuare omnia, sed primā perfectissimāq; earum rerum quę factę sunt iuuare perse, secundā per primam, & ita vsque ad infima hæc corpora: qui quidē putant hac etiā ratione esse res factas, Deū scilicet fecisse intelligentiā primam hanc verò fecisse secundam, & hāc tertiā, atque ita factū esse vsque ad vltimā, hancque fecisse corpora, & res omnes intereuntes. Cæterum falsa est hæc assertio. Quia prima intelligentia non habet vim qua possit sine pręsentia di

uini

uinitatis operari, (aliter haberet operationẽ perse, quare & esse perse independens, quare esset Deus.) Si ergo ipsa sibi nõ sufficit, vt operetur sine Deo, multò min⁹ potest sufficere alteri vt operetur sine Deo: nõ põt ergo secũda tertiã mouere adiuta solum à prima sine præsentia Dei, neque omninò res aliqua potest quidq̃ facere, quantũuis iuuetur ab aliis omnibus (iuuãtur enim etiam inferiores à superioribus) sine præsentia Dei. Necesse est ergo quãcunq; causam posteriorẽ præsentem habere & adiutorẽ Deum, quidquid sit factura. Deus autẽ videtur duob⁹ modis causas posteriores iuuare, aut faciẽs illud ipsum quod ipsę faciũt, ita vt homo & Deus hominẽ gignãt, aut roborans ipsam causam posteriorẽ, quaten⁹ possit facere qđ deo nõ præsente aut ita roborãte nõ posset, ita vt homo hominem gignat, Deus autẽ hominem roboret, vt possit gignere. Nõ multũ videtur referre hoc aut illud dicere. Videtur hic secundus modus nihil Deo detrahere, & plus dignitatis rebus naturalibus tribuere: quia nõ partim faciẽt, sed omninò & erunt causæ integrę. Atque eadẽ ratione dicemus solem & hominem gignere hominem, nõ quod partim gignat vterq;, sed quod homo gignat, sol autẽ homini tribuat robur, sine quo non valeret gignere, velut vẽtriculus gigit chilum, cor autem tribuit illi vitalem influxũ, quo naturales illius facultates roborãtur, & quo sub tracto nõ posset ventricul⁹ chylum gignere, nõ tamẽ proinde dicimus cor chylum generare. Ergo res naturales in se habẽt principium & causam mouendi, & mutandi, atq; si rectè mõstratum est formã cuiusq; esse illius naturã, constat formam substantiæ cuiusque esse illã causam & illud principium, atque adeò verũ esse quod Arist. dicit in naturalibus mutationibus eãdem causam esse effectricem & formam. Cæterum occurrunt mox duæ obiectiones, primùm actiones omnes sunt suppositorum, non ergo forma ignis generat ignẽ, neque mouet ligna sed ignis. Deinde in ignẽ causa calefaciẽdi nõ est ignis forma sed calor. Nã calor etsi perse nulli corpori inhærens existeret calefaceret, sentiretur enim, cùm sit sensibilis perse, sentiri autem nõ potest nisi afficiens sensum, nõ ergo omnes motus aguntur à forma substãtiæ. Primæ obiectioni omnes respõdent actiones re vera esse ipsarum rerum, verum principium & causam præcipuã faciendi omnia esse formas substãtiarum, hasque vti formis accidentibus vt instrumẽtis: Ergo ignẽ gignere, quia eius forma ignẽ gignit, velut ignis gignitur quia ei⁹ forma gignitur (nõ enim materia) & ignẽ calefacere, quia eius forma calefacit, velut homo videt quia ocul⁹ videt, ignẽ ergo calefacere, & formã ignis calefacere diuersis tamen rationibus ignẽ enim, quia eius forma, formã, quia est primum principium omnium motuũ & mutationum. Præcipuè autem dicitur hoc de igne, quia omnia attributa dicuntur de rebus, forma aũt non est res quędã, sed principium & actus rei: verum tam ignis quã forma ignis ad calefaciendum vtitur calore vt instrumẽto necessario. Sublato enim calore ignis non calefaceret. Sed videtur (hæc est secunda obiectio) calor nulla ratione esse posse instrumẽtum formæ ignis (eadem ratio est aliarũ rerum & aliorum accidentium) nã ad gignendũ calorẽ nõ videtur esse instrumẽtum, sed præcipua causa, siquidẽ mõstratum est, fore, vt separat⁹ etiã à substantia calefaceret: gignẽdi ignis formã, nullaten⁹ videtur posse esse causam nisi per accidẽs. Quia disponit materiã, nullã ergo ad actionẽ est calor instrumentum igni. Quidã putant formam substantiæ, omnium mutationum & motuum esse præcipuam causam, & vti semper accidẽtibus vt instrumentis, itaq; ignis formã ignẽ facere, & vt ignis formã generet, vti calore. Itaque calorẽ esse causam perse caloris, & formæ ignis, nunq̃ aũt præcipuã sed vt instrumentum: Proinde calorẽ, etiã cùm per se sine substantia est (velut in sacramento eucharistię esse, Dei gratia credimus) etiã cùm in substantia aliqua præter naturam est, vt in aqua calida, instrumentum esse. Cuius autem sit instrumentum? vbi enim nulla substantia est, non sit substantiæ instrumentum, neque vbi substantia cui inest, contrariam habet naturam? Nam quo pacto forma aquæ sit pręcipua causa gignẽdi calorem? Aut quo pacto vtetur calore? Respondent, vtrobique esse instrumentum eius formæ, quæ genuit: scilicet aquam feruentẽ non calefacere, sed ignem qui feruere fecit, calefacere calore eo quem in aqua genuit. Velut, dicunt, homo generat, vi quam semini, qui coniectus est in vterum, indidit: ita etiam

Duæ obiectiones

manum sacerdotis calescere ab igne, qui calefecerat panem antè consecrationem, esse itaque, dicunt, calorem (accidentia omnia intelligo quę facere aliquid possunt) instrumentum: atque adeò vt instrumentum, non tãtum caloris, sed formæ etiam ignis posse esse causam. Argumentum autem esse dicunt, quòd etsi ignis non adsit, quacunque causa calor tantus fiat cum tãta siccitate, ignis gignitur, velut cùm confricatus inter dura copora aër inflãmatur, & à solaribus radiis in speculo ignis fit. Si enim (dicunt) calor non esset causa attingens (ita illi dicunt) generationem formæ, ignis nõ posset gigni, nisi vbi ignis adesset. Esse autẽ multas huiusmodi actiones quę absentibus substantiis tribuantur, probãt exemplo omnium eorum quę semen producẽdo generant (mortuus enim homo gignit filium posthumũ. Et animaliculorũ quæ putrescentia generantur nullis similibus & præsentib⁹) hęc & huiusmodi multa congerunt, quæ tamen nobis & plærisq; aliis displicẽt, displicet enim in primis placitum, deinde respõsa problematum. Placitum quidem, quia non videtur accidens posse secundum naturam habere vim gignendi substantiam, neque omninò quod natura imperfectius est, rem quæ sit generis præstãtioris; neq; quidẽ vt præcipuum agẽs, neq; vt instrumentũ per se. Dixi per se, quia quod per se est causa vt instrumentum, recipit vim per se facientem ortum rei, quod autem imperfectius est non potest talem vim secundum naturam recipere: dixi secundũ naturam, vt liceat theologis, vt volent, opinari de aqua benedicta, & sacramentis: siue Deũ his præsentibus dimittere peccata, siue hæc à Deo vim sanandi animũ recepisse. Cur enim si Deus potest facere vt calor vim habeat gignẽdi formam, naturalia etiam agẽtia id quoque posint facere? Nimirũ quò potẽtia efficiẽs maior est, eò cũ minori aptitudine materię potest quiduis facere. Deus ergo quoniã infinita potentia est (mõstrauimus hoc in cõ. 8. de phys. doctrina) potest vim quid uis faciendi tribuere cuiuis. Etiã ineptissimo, vt scilicet potuit ex nihilo facere: tñ agẽtia naturalia nõ posint vires faciẽdi tribuere nisi secũdum naturã aptis recipere. Non sunt autẽ quæ sunt per sese imperfectiora naturà, capatia tantæ vis, vt posint facere quæ sunt perfectiora: facere enim maioris perfectionis est q̃ fieri. Ergo accidentia nõ possunt esse instrumenta per se causarum naturaliũ faciendi formas substantiarũ. Neq; verò Deus hoc illis dedit, quia nõ erat eorũ natura apta hæc recipere, neq; faciebat ad pulchritudinẽ rerum, vt perfectiora à vilioribus, & substãtiæ ab accidentibus generarentur. Præterea responsa problematũ, iisdẽ argumẽtis, quibus quæstione. 11. mõstrauimus grauia & leuia nõ moueri à generãte, constare nunc potest esse falsa. In primis cũ inter corpora aliqua, aut omninò res aliquas, est mutua pugna & reciproca actio, idẽ est quod repatitur, vt ita dicatur, & cui resistitur (resistẽtia enim facit reciprocã actionẽ,) sed agẽti resistitur, ergo idem est quod agit & quod repatitur: sed cũ miscetur aqua frigida cũ feruẽte, nõ refrigerat à frigida ignis qui feruere facit, sed aqua feruẽs, nõ ergo calefacit frigidã ignis sed aqua feruẽs. Idẽ argumentũ est in eucharistia, manus enim sacerdotis si calescit illius cõtactu, nõ remittit ignẽ, à quo calor ille genitus fuerat, sed calorẽ à quo calescit: non ergo calescit ab igne. Mirũ enim si cõcedas affici, & moueri quod nõ est. Præterea si man⁹ mea in calescat cõtactu aquę, quæ in caluerit cõtactu ferri, quod in caluerit cõfricatione, cuius formę erit calor aquę instrumentũ, nisi est formæ aquę? Si enim nõ est huius q̃a frigida est, neq; ferri sit quod frigidũ est, nec tñ ferrum calefactũ est ab igne, nõ est ergo cuius sit. Prærereà, q̃d magis absurdum, q̃ vim simplicis caloris vi seminis putare esse similẽ? Ac nõ intelligere propriã esse viuẽtium hanc seminalẽ generationem? Quid ergo est quod nos dicimus? In primis nullã substantiæ formã ab accidẽtibus generari per se, sed tantum ex accidẽti. Dico aũt ex accidenti, quia cũ ignis vrit lignum, calor & siccitas faciũt vt materia benè disposita sit ad recipiendũ formã ignis, benè aũt dispositę statim superuenit. Itaq; calor fecit vt ignis forma gigneretur, sed nõ genuit. Nõ videtur aũt forma superuenire posse, q̃tũuis materia pręparetur, nisi ab aliquo generetur, nisi pręerat in materia latẽs, & nũc emergit. Si ergo nõ pręerat actu, à quo facta est? si enim dicas calorẽ factũ esse à calore, & ignis formã à forma ignis, vtrũque aũt ab igne, quippe in quo vtrũque principiũ est, forma inquam suæ substãtiæ & calor, hîc sanè rectè hoc dicitur: sed cum cõfrica

fricatione lapidum, aut in speculo ad solē posito ignis gignitur nullo igne præsente, àquo gignetur forma? Certè generatio substantialium formarum, & eductio de potentia materiæ, magnam semper difficultatem ingessit cōsiderantibus, antiquis & iunioribus. Hinc tam multę sententiæ natę sunt, quibusdam antiquorum tollentibus omninò ortū & interitum verū, & facientibus omnia raritate aut densitate, aliis ponentibus homogenea omnia cōmixta esse in omnibus, atque inde emergere: aliis fingentibus inchoationes formarū, aliis potētialitates, aliis alia innumera. Verū disputatū nobis antea est fieri posse resolutionē rerum vsq; ad materiam aliquā primam, carētem per se omni actu. Quare duplex nunc superest ratio. Quibusdam videtur formas omnes substantiales fieri à Deo; eumq; solū esse datorem formarū: res autem alias tantum posse mutuo sese mouēdo ad accipiendas formas pręparare, itaq; vtcunque materia vltimam dispositionē receperit, siue inquam eo quod mouit per se mouente, vt hæc forma fieret, vt cum ignis, lignū vrit, siue per accidens præparat, vt lapis qui attriuit aërem, Deum adiutorio illo naturali, quo probauimus semper causis omnibus adesse præsentem, formam pręstare: formas ergo omnes fluere à Deo cōtemplante quæ in se habet formarum omnium exemplaria, materiā verò vi agentium naturalium præparari: velut siquis ceram manibus emolliat alius sigillum imprimat, appellabiturque meritò forma principium diuinum, quasi per se à Deo fluens. Quidam nollūt, quorum sententia non minus est probabilis, vim gignendi formas substantiarū rebus omninò denegare, sed dicūt præsente causa aliqua, quæ per se possit gratia similitudinis gignere, accidentia fieri vi accidentiū, formam vi formæ, vt cùm ignis ignem generat formam ignis vi formæ ignis fieri, cùm autem non adest causa aliqua talis quæ faciat, vicem illius supplere causas vniuersales, ac pręcipuè Deum, & vocari hos ortus per accidens. Sed obiiciunt alii, fieri hinc, vt ortus omnium viuentium per accidens fiant: nam fiunt vi ipsius seminis absente patre. His ita respondetur, duobus modis dici mutationem aliquam aut motum per se esse ad aliquam formam, aut quia ea mutatio finitur in eam formam primò, aut quia etsi non finiatur primo in eam, tamē illius gratia agitur hoc, primo modò refrigeratio febricitantis est per se ad frigus, & per accidens ad sanitatem (per se, enim finis refrigerationis, est frigus) secundomodo est, ad sanitatem per se, ad frigus per accidēs, refrigerat enim hunc medicus non vt frigescat sed vt sanescat. Hō ergo ab homine generatur per se, secundo modo, quia etsi formam non possit gignere, tamen præparat materiam non aliorsum quàm vt homo fiat, ignis ab igne præsente generatur per se vtroque modo, quia ipsa generatio quæ ab igne nascitur in ignem finitur, & ille ignis gignit, vt hūc faciat. Vermis verò à putrefaciēte & ignis à ferro confricante, fit per accidens, vtroque modo. Nam neque putrefaciens gignit vi propria vermem, neque ferrum ignem, neque huius gratia facit. Occurrūt mox duæ, obiectiones. Primum, videtur fieri vt ignis & reliqua inanimata quæ possunt gignere sibi similia magis generent, & magis attingant sibi similium generationem, quam animata quę mittunt semina. Nam illa gignūt per se vtroque modo, hęc verò vno modo tantum. Deinde videtur fieri vt nihil intersit inter nostri animi & formarum aliorum animalium ortus, nullamque earum educi de potentia materiæ, siquidem omnis gignetur vi diuina. Sed nihil est absurdum concedere quò aliquid est natura præstabilius eò habere diuiniorem ortum, atque proinde quò est aliquid ignobilius, eò minus agente Deo gigni posse: atque ita ignem gigni ab igne per se vtroque modo, viuentium verò formas vnico tantum, reliquum faciente ipso Deo. Si enim putes oportere, vt vnumquodque eò magis possit gignere sibi simile per se quo est perfectius, fiet vt homo imperfectior sit aliis animantibus, qui haud dubiè gignit hominem minus quam ignis ignem, quia habet ortū diuinum rationalis animus. Non ergo ita putare oportet, sed vnumquodq; quò est vilius, eò magis attingere formæ similis generationem, quia eò est ea forma vicinior materiæ. Nihilominus gignunt verè animalia, quia vim habent deducendi materiam ad potentiam proximam, idest, ad vltimam dispositionem: Atque adeò vt pręstantiora habent præstantiorem quemdam modum gignendi

per semina transmittente virtute. Qui modus generationis tanto est præstatior quanto minus tenetur conditionibus materiæ, quia quodammodo gignunt sine tactu physico, sed in absentia: quanquam alio modo, vt explicatum est, per contactus physicos & à causis præsentibus aguntur hæc, animali emittente fœcũdum semen, semine sese perfectionis gratia elabarante, coquente, & deducente ad potentiam proximam, & Deo, qui omnibus adest, præstante formam. Secunda obiectio minus est difficilis, non enim diximus animũ rationalem non educi de potẽtia materię, quòd à Deo fiat, sed quòd non est tantum materiæ actus, sed est etiã per se ens quoddam separabile. Hoc ergo intererit, animus equi siue ab equo siue à Deo gignatur, non poterit nisi in materia gigni, neq; seruari, quia nihil est aliud quam actus equi: humanus autem animus est separabilis. Ergo quod, ad formarum substantiæ generationem attinet, ita habet. Accidentia vim habent gignendi sibi similia, vt calor calorem. Nam præter quam quod id experimento sentimus, ratio non repugnat. Si enim quanto quidque est ignobilius (eorum intellige quæ vim habent faciendi) tanto magis potest sibi simile facere, & formæ elementorum possunt formas gignere, magis possint accidentia elementorum. Verum hæc natura sua sunt instrumenta substãtiarum in quibus sunt, velut calor ignis, est instrumentum ignis, & formæ ignis, quia actiones referuntur ad ignem vt ad suppositum, vt diximus, & ad formam, vt ad naturam, & principium & causam omnium motuum. Cùm calor est in substantia aliqua præter naturam, non est instrumentum formæ, sed rei, velut cũ aquæ calidę cõtactu calefit aliquid, calor non est instrumentum formæ aquæ (non enim forma aquæ calefacit, forma enim aquæ est natura aquæ, natura autem aquę qui potest esse pręcipua causa calefaciendi?) sed instrumẽtum aquę: cum enim actiones sint suppositorum aqua calfacit, non quia aqua, sed quia aqua calida: velut lapis qui sursum proiicitur, sursum pellit ea quę offendit, non quidem sua forma (nam forma grauis deorsum est nata pellere) sed impetu quem pręter naturam recepit. Ita ergo aqua calida calefacit nõ sua forma sed calore quem præter naturã habet. Calor verò qui separatus est (eadem ratio est cuiusque accidentis separabilis) calorem generat perse, & non vt alterius causæ instrumentum, sed ipsemet est qui agit, & qui patitur, generat enim similem, & remittitur à repugnante. Neq; sane hoc est rationi aduersum: nulla enim forma est separabilis nisi quæ habet actionẽ propriam, vt docet Aristo. in initio primi de anima: ergo accidens, quod separatur, retinebit illam actionem, vt cùm erat coniunctũ, atq; vt est perse ita operatur perse. De causis ergo efficientibus naturalium mutationum hæc est probabilissima sententia & Aristotelea, principium primum & causas omnium motuum esse formas substantiarum, formas autem accidentes causas esse perse accidentium. Hinc colligunt omnes vulgares philosophi vim agẽdi esse in vno quoq; pro formę multitudine, quia (dicunt) forma est causa agẽdi, quo plus ergo est causa, eò plus est vis & efficacię: tamen & si in omnium ore hoc circum fertur, haud scio an ab aliquo satis explicetur, videtur enim multitudinem formæ substantię nihil facere ad efficatiam, sed solum multitudinem accidentium. Nam quanto quidque habet caloris & siccitatis plus, tanto citius ignem generat, siue ignis formę habeat plus siue minus siue etiam nihil. Nam quanto plus habet caloris & siccitatis, tanto citius calefacit & refrigerat, quare tanto citius potest vltimam dispositionem materię facere (monstratum est autem statim ac facta tanta dispositio est fieri formam in nunc temporis, siue à forma generantis, siue à Deo fiat.) Ergo sola multitudo caloris & siccitatis facit ad maiorem vim generandi non solum calorem & siccitatem sed etiam ignem, quantum autem sit formæ substantię generantis indifferens est. Certè si ipsa instrumenta sine formis substantiarum esse possent, aut esse tanta & tantum operari, cum formę generationi non possit deesse Deus, constat multitudinem solam accidentium facere ad magnitudinem actionis, quoniã autẽ plerunque modus instrumentorum sequitur modum formę substantię, dicatur nũc simpliciter vim faciẽdi sequi multitudinem formæ: tamen hanc multitudinem in ipsis instrumentis contemplemur. Est tamen statim argumentum, quo plus est formæ, eo est pl⁹ materię, ergo quo res

aliqua erit densior cum magnitudine equali, eò efficatius calefaciet, etiam si sit minus calida, velut si quæ dẽsior est duplo sit vno gradu, & quæ minus densa, quatuor gradibus calida, hoc vero est apertè falsum. Nõ dubium est cùm accidentia, quæ sunt substantiarum instrumenta, præter magnitudinem subiecti, habeant propriam magnitudinem intensionis, sitque calor in magnitudine corporis & densitate æquali, alius alio maior, & cæteris partibus in magnitudine corporis & dẽsitate, maior calor plus possit quam minor, vim agendi nõ solum nasci ex multitudine quæ secundum subiectæ substantiæ multitudinem est, sed etiã ex intensione: potest enim esse calor calore maior, quia pl⁹ corporis affluit, aut quia intensior est. (Vulgares vocant illos gradus entitatis, hos gradus intensionis) cùm ergo dicitur quo plus est formæ eo est plus efficatiæ intelligi debet, aut cęteris paribus intensione, aut illud plus formæ, secundũ vtramque magnitudinis rationem, aut alteram, quæcumque præualuerit. Itaque si quanto vnum est maius aut densius, alterum est intensius, æque valentia erunt: sin vnum sit triplo densius aut maius, alterũ duplo tantum intensius, illud valentius erit, quia vno gradu erit densius quàm minus intensum: si autem sit duplo densius, & triplo remissius, profecto quod densius & habens plus formæ minus habebit efficatiæ. Sed etsi hoc ita explicetur, videtur physicæ rationi aduersum. Nam si ferrum centuplo densius est inflammata stupa, & stupa duplo calidior oportet vt ferrũ plus citiusque possit calefacere quam stupa: Potest autem stupa gignere calorem ęqualem & quem habet, ergo ferrum potest gignere maius eo quem habet. Id autem pugnare videtur cum ratione. Nam quo pacto det caloris gradum quem non habet? Respondent quidam, quia sunt multo plures in ferro partes, ac proinde copiosior calor fieri calorem maiorem, quia fit velut dẽsatus Primò hi tribuunt densationem calori, deinde non effugiunt argumentum, nam qđ incalescit à ferro, prius afficitur à partibus proximis secundum superficiem, hę autẽ gignunt calorem æqualem ei quem habẽt, hic autem vbi semel genitus sit, aliæ nihil addent, quia agentia naturalia, vbi factum est quod natæ sunt facere, nihil faciunt. Quod si dicas non ita fieri, sed partes omnes simul agere & se iuuare: neque ita erit satis. Nam illud ferrum non poterit dare calorem maiorem eo quem habet, antequã dederit æqualem, vbi autẽ æqualis factus fuerit, necesse erit cessare motum. Nam quod physicè mouet, habet actu id quod potentia habet, quod mouetur, solum ergo ad hoc mouente recipi posit, quod habet actu. Præterea si multarum partium æque calidarum præsentia facere potest calorem maiorem, eadem ratione eiusdem partis crebrior admotio. Tamen vbi res aliqua iusta suã vim calefacit, etsi millies iterum admoueatur, nihil faciet. His argumẽtis ita respondetur, nihil re vera posse gignere calorem maiorem eo quẽ habet per se, quia eo genito non amplius habet principium mouendi, velut si aqua descendit per aërem, certò quo plus illius erit eo celerius descendet, atque si quid offendet secũ rapiet, deorsum agens, tamen statim ac locum suum attigerit, impellere cessauit, etsi maxima moles aquæ sit, quia tantum eo vsque nata erat moueri, & mouere. Ita ergo res calida, quo densior aut maior erit, eo citius calefaciet, quousq; calefacere nota sit, non tamen calefaciet amplius per se, quia cùm nulla eius pars impetum habeat vltra procedendi, neque sese inuicẽ iuuare possunt, vt in actione procedant. Videtur ergò hinc fieri vt ad vim plus aut minus mouendi faciat maior aut minor virtutis mouentis intensio, & ad celerius mouendum quantum mouere nata sunt, faciat etiã densitas aut magnitudo. Multa enim sunt, quę ob exiguitatem aut raritatem nõ faciunt, qnantum nata sunt facere: velut scintilla ignis non vrit, neque ignis quidem in rarissima materia. In densissima autem materia mox facileque facit ignis quantum sua natura valet: Velut in ignito ferro. Mirum enim quod quidam phylosophastri putãt, in ignito ferro non esse ignis formam sed calorem, hunc verò multum, & velut densatum, vrere vt ignem: quoniã (arbitror) vident extincto candore manere ferrum, quod putant oportuisse corruptum esse vt forma ignis fieret, tamen non possunt nostris argumentis respondere, neque video quo pacto cùm videant fulgorem, ignem esse negent. Plato certè in timæo ita dicit sine igne fulgere nihil potest. Fulgorem ergo illum candentis ferri quo pacto posit calor solus facere? Certè est ignis replẽs ferrum

rum secundum omnes poros, estque ferrum igne plenum, vt spongia aqua: sanè vt & carbones: hi enim etiam ignem concipiunt, deinde extincti, carbones rursum sunt. Fumus quoque ardens flamma fit, quæ extincta rursum fit fumus. Vt ergo ferrum non est ignis, ita neque carbo neque fumus, neque omninò res aliqua alia, earum quæ inflammãtur: sed concipiũt ignẽ qui penetrans per omnia, omnia commutat, & habet subiecta vt materiam. Itaque multitudo formæ, quæ nascitur ex multitudine materiæ, videtur multum posse vt res facilius moueat, quantum mouere potest. Sed & multa alia sunt quæ faciunt ad hanc efficatiam, velut quies mouẽtis, ignis enim manens plus faciliusque vrit quã agitatus, & quod natum est penetrare, penitius mouet, quàm quod minus. Proindevt Galenus docet primò de simplicium medicamentorum facultate, medicamenta tenuium partium facilius promptiusque exerunt suam actionem, quàm crassarum, quia scilicet tenuitate penetrant. Verum hæc omnia quanquam actionem iuuent, vt actio vltra vim agentis procedat, non possunt facere. Nam medicamentum tertii gradus, etsi optimè admoueatur, nunquam perse mouebit, quantum medicamẽtum quarti gradus mouere natum est. Dixi perse, quia est alia ratio quà potest aliquid plusquam pro sua facultate mouere, nimirum vt generationum quædam fiũt per se quia vi agentis, quędam ex accidenti quia ob materiæ dispositionem, ita alterationes quædam perse fiunt, vt calor à calore, quædam per accidens, vt frigus à siccitate, & siccitas à calore. Nimirum quędam qualitates ad quasdam alias accipiendas bonæ dispositiones sunt aut malæ: quædam etiam alterationes, sunt partim perse partim ex accidenti, cùm ad gradum quendã aguntur vi mouẽtis, eò autem vsque acta, reliquum mouentur perse ob naturalẽ potentiam, quam habent, eam passionem recipiendi, & quæ ita parata sunt, dicuntur potentia esse talia, velut piper potentia calidum est, quia incipiens calescere à nostro calore, per sese recidit in maiorem calorẽ, quàm nostra membra præstare possent, velut etiam aqua descendens, trahit secũ terreas partes, quas habet commixtas, illæ autem hucusque tractæ, persese subsident deinde in aqua. Ecce ergo modum quo potest aliquid moueri plus quam pro potentia mouentis, ob materiæ dispositionem, ita etiam res aliqua eodemgradu calida sed densior, poterit plus quam alia rem, quam tanget, mouere. Atque adeò supra gradũ mouentis, quia dum hanc qualitatem gignunt, gignent multæ partes aliam, quæ melius ad hanc capiendam materia disponatur, atque ita dum id quod mouetur fit actu ita calidum, fiet potentia magis calidam, idque quod potẽtia habere cæpit, per sese accipiet deinde, eritque illa alteratio, vsq; ad gradum mouẽtis alteratio perse, reliquũ per accidens. Itaq; colligimus, per accidens multitudinem formæ, quæ est ob multitudinẽ materiæ, posse facere, vt plus moueatur id quod mouetur, tamen perse non vt plus, sed vt celerius. Non solum autem vocatur Aristoteli maior vis, vis plus agendi, sed etiam vis agendi celerius. Nã ita affirmat celeritatem motus nasci ex ꝓportione facientis ad id quod patitur. Hæc ergo actiuitas (vt dicunt) attenditur pœnes multitudinem formæ, sitque quod Aristo. colligit, vt si infinita substantia in aliquo mouente esset, esset infinita vis, non vt infinitam faceret passionem, quia non faceret maiorem summa, sed vt infinita celeritate, hic barbari colligunt multa corrollaria, fieri vt finitum magnitudine & gradu habeat infinitam vim, & rursum vt finitũm æqualem infinito. Et vt infinitum maiorem finito, & vt infinitum maiorem infinito, & quodcunque aliud lubet. Verum illi colligunt facientes densationes & rarefactiones qualitatem perse, & facientes accidentia mutare substantiam, & substantiæ partes rarescere quantumcumque, & facientes diuisionem infinitam actu. Quæ omnes sunt hypoteses impossibiles, quid autem admirationis continet ex impossibilibus sequi quiduis? Nobis non vacat ludere.

Alterationes per accidens, & per se.

Alterationes partim per se partim p accidens.

An sit fortuna causa aliqua per se.

DE fortuna & casu satis multa dicta sunt in commentariis, nunc tamẽ ob formulam tantum disputabimus, an sit fortuna causa aliqua perse, an non. In primis videtur causam aliquam talem eã esse oportere, quia Aristo. inter causas egit

de

de fortuna, probauitque ad physicum pertinere de fortuna disputare. Quo pacto autem pertinet si non est causa aliqua perse? Nam causæ per accidens sunt infinitę, de infinitis nō est scientia. Pręterea eorū quæ semper aut magna ex parte fiunt, necesse est aliquā causam esse per se. Sed sunt multi homines, quibus omnia aut pleraq; quæ adoriuntur benè cedunt, alii contra quibus plerumque malè, & si non sint imprudentiores. Est ergo causa aliqua perse felicitatis illorum & infelicitatis horū. Cōfirmatur hoc autoritate antiquorum deam quamdam colentium, quam vocabant fortunam. Arist. etiam lib. 7. ethicorū ad eudemum censet fortunam quandam esse diuinam, fortunam autem diuinam esse, cum quis instigante aliquo dæmone, vt aliquid faciat quod homo nescit quorsum euadad benè cedit, si hoc autem ita est, constat illā fortunam esse causam perse: si enim consilium & qui consilium præstat, causa perse est eorum quæ fiunt: constat & instigationem & instigantem dæmonē esse causam perse. Alia ex parte videtur fortuna nō esse omninò causa ne per accidens quidem. Nā si esset causa, esset in aliquo eorum generū quibus omnes contineri monstrauimus: Non tamen videtur in quo esse possit: nam esset forte in genere facientium ita enim Arist. dicit sed quid est quod facit eum qui venit in forum vt emeret, & reportauit aurum, reportare? ipsum venire est causa emendi, reportandi causa est, ad fuisse eum qui dedit hoc verò ad fuisse non est fortuna, sed venisse: ergo fortuna non facit id, quod fortuitò fieri dicitur. Sed est aliquid aliud quod faciat. Fortassis sit materia quia est causa indefinita, vt dicit Arist. sed quis vnquam mente concepit, ipsam fortunam esse, ex qua immanente fiat reportatio pecuniæ, aut inuētio auri: finis non est, quia nemo agit quidquā vt fortunatè agat, sed quia fortunatè agit aliquid, aliud euenit: forma multò minus est, nam non dicitur aliquis fortunà egisse, quia egit opus fortunatum, sed opus dicitur fortunatum, quia fortuna factum est. fortuna ergo antecedit opus fortunatum, non est illius forma. Nō videtur ergo fortuna esse in causis. Dictū est in comm. fortunam & prudenciam esse causas quasdam, quę versantur in iis quę cum intellectione fiunt, prudentiam quidem, cum agitur aliquid vt aliud eueniat & euenit, quia illud quod agitur, eius gratiā agitur, vt oportet: Fortuna cum aliquid alicuius gratia fit, & aliud euenit. Vnde constat prudentiam esse causam perse & certam, fortunam per accidens & incertā: diximus etiam nōnunquam coniungiam bas causas, prudentiam & fortunam, cùm scilicet id cuius gratia agitur, prosperè euenit, cùm posset aliter euenire: atque eò magis est fortuna, quò magis poterat non euenire, & quo plus habebat incertitudinis, nimirum fortuna est causa incerta. Vnde constat in omni negotio eo esse minus prudentiæ quo plus fortune, & eo minus fortunæ quo plus prudentiæ, atque cùm omnino abest prudētia, & intellectus, hoc est cùm is qui agit, neque dirigit opus suū in eum finem, neque præsentit finem, solam esse fortunam. Diximus præterea eū qui agit aliquid, non eius gratia quod euenit, aliquando id agere quia instigatur ab aliquo bono dæmone, etsi id non sentit, aliquando nullo instigante, sed casu, & vt aliud agens. Cùm instigatur vocatur fortuna diuina, cùm à nullo non diuina. Fortuna semper est in genere causæ facientis, nō quòd proprie faciat (neque hoc necessariū esse ad talis causæ rationem diximus) sed quia ab ea accipit res principium. Si est humana fortuna est causa per accidens, quia vt diximus, id quod fit fortuna, alteri[9] gratia fiebat, & aliud contingit euenire: si est fortuna diuina, qua instigatione dœmonis dirigitur actio hominis, est causa per se aliquatenus tamen est consilium & prudentia. Nam dœmon instigat, vt eueniat hoc ipsum quod euenit, ipsum autem facere, homini est causa quidem per accidēs, quia homo facit alterius gratia & quà est per accidens est fortuna, hac ipsa ratione est causa indefinita, non quia ab alio definitur, perse indefinica existens, vt materia: sed quia est per accidens. Causæ autem per accidens in omni genere sunt indefinitæ. Siquidem fortuna aliqua esset, qualem ethnicorum vulgus suspicabatur, vt dea quædā quæ pręesset iis actibus in certi euentus, & quæ res quorundam secundaret, aliorum minime, ea certè fortuna esset causa perse & certa. Tamen nullam talem esse, aut certè esse gratiam Dei volentis huic prosperè euenire omnia, illi nollentis, in comment. diximus, nunc mōstretur. Si quæ talis causa esset, aut esset prima, aut pēderet ex alia

Decisio. (margin, beside "videtur ergo fortuna esse in causis")

si prima

si prima, aut illa est ipse Deus ita vollens, aut sunt multæ, primæ non pendentes alię ex aliis, quod tollit mundi vnitatem & perfectionem. Pendet ergo ex alia, atque illa alia sit Deus, aut certè alia pendens ex alia vsque dum perueniatur ad Deum. Igitur illa fortuna non secundat huius actiones plus quam illius quia vult (nā ita esset prima causa) sed quia ita vult alia superior, & illa quia alia, tota ergo causa redit ad volūtatem primæ causæ. Ergo fortuna seu causa felicitatis quorundam est voluntas Dei id facientis, aut perse aut ministerio angelorum, neque est alia fortuna. Illa tamē voluntas Dei ita fieri prouidentis causa perse est bonorum euentuū, & certa, & minime analoga, sed ex infinita sapientia fluens quare iniuria vocetur fortuna.

16 ## An in causis naturalibus, sit finis cuius gratia.

HOc quoque disputatum in commentariis est, sed detur etiam thyronibus vt & hoc seorsum disputetur videtur in naturalibus causis non esse finis & cuius gratia dicere enim ignem calefacere, vt sibi similem faciat, hypothesis quædam esse videtur, non quod ita re vera sit, nam in iis quæ causam habent in fine, finem esse primam omnium causarum Aristotel. docet, constatque hoc argumento. Finis mouet alias causas, ergo est illis prior. Si enim hominem gignit vt seruetur species, homo est effiiciens causa, quam materia & forma mouet tamen hominem amor seruandi speciem, ergo hic amor prior est quā ea opera quam homo in generationem adhibet est ergo finis, in quibus est, prior quā aliæ causæ. Atque ita in tota rerum vniuersitate Deus non est alicuius gratia (nam aliud esset illo prius) sed ille est cuius gratia alia omnia, ac proinde est prior omnibus, atque adeò ipse antequam faceret res alias, erat potens beare, nimirum Deus est effector & finis omnium, ratio autē finis est ipsum beare, ratio causæ efficientis, ipsum facere, videns ergo Deus beatitudinem cuius esse poterant rationales creaturæ capaces, illas fecit vt bearet, & reliqua earum gratia incepit ergo rerum creatio à beatitudine, vt fine, sed ignis non mouetur à conseruatione speciei, non est ergo eius finis, neque illius gratia generat. Non moueri autem ita constat finis non mouet quia est, sed quia potest esse si quis enim mouetur, vt exercitatione sanescat, cùm mouetur nondum est sanus, sed mouetur sanitatis spe, quia potest esse (hoc est quod antea diximus, finem non esse priorem vt rem, sed vt causam) nihil autem mouet non existens, nisi per appetitum, neque appetit us nisi per cognitionem, nihil ergo cognitione carens finis gratia operatur: prætereà si qua ratione naturales causæ finis gratia operarētur, maxime qa ita operatur, vt maximè expedit & vt operarentur, si eorum quæ sibi expediunt, haberent cognitionem: tamen si hoc esset satis, nihil fieret casu, aut fortuna quod benè apteque fieret, atque si tripos cadēs apte sedisset, cecidisset vt homo posset in ea sedere, quia cecidit vt maximè expediebat ad hunc vsum, & qui venit in forum alia causa & reportauit argentum, & venisset reportandi gratia si sciuisset, diceretur venisse vt reportaret, quia non aliter poterat eo die melius reportare argentum, quàm veniens, non ergo est satis vt hoc huius gratia factum dicatur, hoc accommodatissimum esse vt hoc faciat, neque ergo satis est, vt oculus visionis causa constitisse putetur si indicatum sit eum habere formationem accomodatissimā ad videndum, præterea si causæ naturales operarentur finis gratia, nullæ causæ operarētur sine fine sed ignis nullius boni gratia videtur durare fictilia, quid enim boni accidit ei ex eorum duritie? qui mingit guttatim per morbum, aut deiicit de ventre cū suo magno malo, quid boni inde expectat cuius gratia facit. Præterea quid prohibet dicere res naturales, ita operari, non quia melius est vt hoc ita faciat, sed quia ita natæ sunt operari, tales cùm sint: esse autem tales quia casu factæ sunt tales ex multis corpusculis, non quidem ita cadentibus omnibus semel (nam si in omnibus simul factum esset quod optimum, non casu factum esset) sed sæpe cadentibus aliter (vt dicebat Anaxagoras) aliquando autem ita nimirum factis ex variè cadentibus corpusculis, variis monstris, & rerum miscelaneis ineptis, illisque eisdem sæpe dissolutis, & iterum iterumque, aliter & aliter cadentibus, vsque dum aliquando aliquid caderet apte, fieretque aut homo aut equus: id autem quod apte cadebat, non dissolui amplius

Finis prima causarum.

plius,quin potius generare alia similia,atque ita paulatim res omnes factas esse quales sunt:nunc autem operari vt operantur,gignereq; quæ gignũt,quia tales sunt: causam autem qua monstra disoluerentur perfecta autem opera durarent,& quia gignerēt,esse quòd suo quidque genere,qđ malum est seipsum corrumpit, contra qđ bonum seipsum seruat & producit.Quod si hic sermo probabilis est,constat nihil esse quod cogat dicere,res naturales operari finis gratia,sed quia tales sunt naturam, dicit Aristot.non posse fieri fortuna,nisi antecedat causa aliqua intelligentia prædita, tamen qui hanc vollet tollere, dicet, non fortuna sed casu cōtigisse hęc casum enim Aristo.ipse dicit in causis sensu carentibus esse verum si necessitate naturali sunt res omnes quales sunt,& non vtilitatis gratia magnopere falluntur Plato, Aristotel.& Galenus,qui vsum & vtilitatem cuiusque particulæ & causam qua ita sunt formatæ tam diligenter inuestigauerunt, aut certè non debuisset sapientiam formatoris demirari, sed multò magis tam accommodata instrumenta,tam perfecta opera,casu cadentibus corpusculis esse conflata.Cæterũ non esse casu factas res,neque casu accepisse tales naturas,cuiuis sano homini suadet illa rerum omnium perfectio, qua singulæ ad id quod suæ naturę congruit, sunt quã fieri posit aut etiam intelligi accommodatisimæ. Si enim res quædam pulchræ essent ac bonæ aliæ autem ineptæ & deformes,aut quædam partes in omnibus bonę aliæ non ita fortasse suspicaretur aliquis casu esse factas,cùm autem omnia sint valde bona,adeò vt neminem qui contempletur non delectet perfectio constat profectò in sapientia esse facta omnia:non esse autem facta vt Anaxagoras dixit,constat quia vt corpuscula quædam conflant vnum membrum,& membra quædam corpus, ita corpora omnia vnum mundum, estque mundus,tam totus & vnus, quàm vnum animal. Nam aliter vnum quodque esset vnũ perse, neque commutationem haberent communem, neque tam necessariam continuitatem. Si autem tam vnus & totus ꝓfectò & tam perfectus esse vult. Velut ergo non poterat, monstrosum animal ex partibus aliis aptis, aliis ineptis durare, sed quia malum mox dissoluebatur,ita neque totus mundus durare poterat aliis corporibus perfectis aliis imperfectis,sed persese dissolueretur,aut pugnantibus partibus cum partibus,perfecta ab imprefectis rursum dissoluerentur, essetque infinita & nunquam finienda iactatio. Prætereà Aristotel.capi.2.3. de cœlo efficaciter probat ante mundi ortum non fuisse motum quare non esse factum mundum ex ellementis inordinatè iactatis, monstratio verò est hæc,aut illa mouebantur secundum naturam,aut præter naturam : si secundũ naturam,non mouebantur fortè fortuna huc & illuc,sed cum ordine vnumquodq; quò ferebat sua natura :-necesse ergo erat in sua loca venire & ibi manere,& singula suis locis,& omnia ordine manere:sin autem præter naturam,non poterant resmotu præter naturam ,ad meliorem naturam venire,ergo ille congresus quo res fierent, esset violentus corpusculis, quippe inquẽ pręter naturam venissent,connarentur ergo omnia in suum locum, distractisque illis,mox ac factæ essent res dissoluerentur. Non ergo potuit esse is modus generationis rerum,neque ergo casu factę sunt tales sed si factæ sunt(factas autem esse monstratum alibi est)in sapientia factæ sunt nihil ènim melius fieri potuit ac factum est quare nihil ignorauit causa formatrix,eorum quæ fieri oportuit.Non ergo solum operãtur res ita,quia sunt tales, sed potius factæ sunt tales, vt ita operentur : velut oculus non videt solùm quia ita formatus est, sed ita formatus est vt videret, habent ergo causæ naturales finem cuius gratia operantur.Pro dillutione autem argumentorum considerandum,causam quæ sola & independens operatur finis gratia , necessariò agnoscere finem,nam rectè monstrabatur,quantumuis operetur vt oportet, nisi finem prenoscant,non moueri à fine : sed cùm est causa aliqua quæ mouetur ab alia aut sunt multæ ordine positæ,nõ est opus quo aliquid finis gratia fiat,vt causa quæ facit, finem agnoscat,sed satis est,si eũ agnoscat,primum eorum quæ mouent.Velut si ego,vt hauriam aquam,funem moueo,& trochleã circumduco; certè funis tẽditur &trochlea circumducitur, vt exhauriatur aqua,neque funis verò neque trochlea preuidit extrationem aquæ,sed homo qui tendit funem.Ita si ego propino pharmacum vt expurgetur corpus,bilis trahitur vt expurgetur corpus,quamquam pharmacum

quòd

quod trahit, non præuidit corporis expurgationem, sed quia prouidit medicus. Neque quidem cum causa aliqua ignorans finem mouetur à cognoscente, tam propriè dicitur, eam causam facere finis gratia. quã illud fieri finis gratia, à mouẽte scilicet primò. Quia hoc facere finis gratia re vera cõtinet cognitionem finis: ergo ignis non vrit vt gignat simile sed vstio fit vt gignatur simile, ab ea scilicet causa quæ naturam eam dedit igni. Nam propriè actio quæ agitur à causa aliqua secũda est primæ: velut si ego baculo moueo lapidem, re vera ego moueo lapidem. Hinc fit statim euidens, quãdoquidem non constiterunt, neque operãtur callè, sed finis gratia, primã causam quę mouet, mouere cùm cognitione finis (quia scilicet non est alia prior penes quã sit cognitio finis) & prouidere, et esse sapiẽtem. Deinde, omnes naturales actiones agi finis gratia, et si res ipsę quæ sola natura operantur sine cognitione non operentur propriè finis gratia, sed impropriè ac quodammodo, quia diriguntur à cognoscente finẽ, nihilominus res naturales omnes operari finis gratia quia earum actiones finis gratia aguntur, atquæ cũ illas finis gratia agere dicimus loquimur vt in hypothesi, intelligentes res naturales, vt sensu prędita. Dicimus enim ignis ignem generat ne deficiat species, et aqua ascendit nedetur vacuũ, quasi id curaret ignis, aut aqua. Non sanè id curat, sed curauit qui dedit hanc naturam. Porrò eorum quę aguntur quædam perse vt ignis vrit, et calidum calefacit, quædam per accidens vt ignis durat quędam, quędam emollit, quedã liquat, quędam facit concrescere, quedã facit crassiora, quędam ex tenuat. Rursum quędam aguntur per potentiam causarum, vt qui benè vallet exonerat ventrem et mingit, et quid vis aliud vt ex pedit agitur, quędam, per impotentiam, vt qui laborat diabete mingit quia non potest retinere. Quæ agũtur perse et per potentiam faciẽtis, omnia aguntur finis gratià, tamẽ quę per accidens aut per impotentiam, non ita, sed necessitate naturali. Verum illa ipsa quę per accidẽs aut per impotentiam aguntur, succedunt aliquibus actionibus, que aguntur perse, et finis gratia velut ignis nõ vult durare, vult tamem calefacere, & succedit durities: homo nõ vult mingere et mingit, aut quia vesica vult pellere, non potens sustinere irritationem, aut si per summam illius laxitatem fit. quia vrina ipsa vult de orsum abire. Itaq; omnia naturalia opera vt aguntur ita aguntur finis gratia, si perse agũtur, per se habent finem, si per accidens agũtur, habent finem per accidens.

An sit aliqua causa efficiens quæ non indigeat causa necessaria.

DOcet Aristo. cap. vltimo libr. 2, de phisica doctrina, causam necessariam dici materiam, et eius dispositiones, & quæcumquæ habent rationem mediorum tendentium in finem quẽdam, necessariũ verò illud non esse simpliciter sed ad finẽ, atquæ si futurum est hoc. Quod ẽst dictu finem esse primam causarum, non enim fit domus quia ex lapidibus & lignis ita positis, sed vt in habitetur, si autem futura est apta habitationi necesse est ex his ita positis sit. Itaquę quęcumq; naturalis causa aliquid factura sit, necesse est materiam prępararet, quia hæc est causa necessaria. In commentariis à medictum est primam causam absolutam esse ab hac lege, posse quæ ex materia nullatenus disposita, atque omninò ex nulla quid vis facere, monstrationem autem distulimus inalium locũ, quãdo autem nunc liberius instituimus disputare de iis quæ ibi vt in commentariis dicebamus, monstretur modo. Imprimis videtur nulla causa effectrix absoluta esse á causa necessaria, nam si quedam causæ nõ possunt sine ea operari et quedã possunt, non est simpliciter necessaria, sed quibusdam. Præterea si aliqua esset non indigens causa necessaria, ea posset ex nihilo facere, hoc verò esset virtutis infinitę, quia esset virtutis omni finita maioris, nam facere, aliquid ex aliquo, est aliquantæ virtutis, et quo dispositio est minor, eo est maioris virtutis, & omni dispositione potest esse alia minor, ergò quę ex nullatenus disposita materia facit, vt ex lapide hominem, aut ex nulla, vt ex nihilo celum, infinitæ virtutis est. Qui autem putat se huic argumento respondisse, dicens non esse infinitæ virtutis, quia inter nihilum et muscam non interest infinitum, quia musca non est perfectionis infinitæ, fallitur: non enim dicebatur virtutẽ facien-

facientem muscam, infinitum vincere facultatem facienté nihil(nihil.n.non fit)sed facientem quid vis ex nihilo,eam quæ facit ex aliquo. Non est enim extimanda virtus ex opere solùm quod fit, sed etiam ex aptitudine materiæ,aliôqui non esset maioris virtutis ignem tantum ex lignis viridibus,quàm ex aridis paleis facere.Præterea hoc quoque falso dicunt,quia inter nihilum & muscam non interest nisi substantia muscæ,non esse proportionem infinitã Nam si proportio esset extimanda ab excesu,fieret vt inter duo& quatuor,non esset maior proportio quàm inter quatuor & sex,quia excessus est idem puta duo, tamẽ illa est dupla, hæc sexqui altera. Non ergó ita est,sed semper cùm excesus est idẽ,quò terminus est minor, eo proportio est maior,velut maior est inter quatuor & duo, quàm inter sex & quatuor , & hæc quam inter octo & sex,quia excesus æqualis tanto maior pars sit termini,quanto termiuus est minor. Si ergo terminus termino est infinitum minor, proportio est infinitũ maior.Inter muscam & reculam aliam duplo inperfectiorem (quæ si lubet sit culex) & culicem & nihil,est excesus idem , & nihil quàm culex est minus supra omnem finitã proportionem(quia omnis finita proportio est alicuius ad aliquid)ergo infinitũ maior proportio est inter culicem & nihil , q̃ inter muscam & culicem , ergo à maiori, inter muscam & nihil est proportio infinitũ maior,quã inter muscam.Et culicem.Si ergo est proportio in infinitum maior quadam certa,inter muscam , & nihil est proportio infinita . Constat ergo si quæ virtus posset sine causa necessaria facere aliquid eam esse infinitam,si autem est infinita,erit & imperfecta,atque vt materia. Nam Aristote.cap.3.de physica doctri.docet finitum & perfectum idem esse, infinitum verò esse inter causas vt materiam. Aut ergo illa causa quæ posset sine necessaria facere,esset prima,aut aliqua posterior,si prima,fuerit prima imperfecta , si posterior, fuerit posterior potentior prima , hæc omnia sunt absurda,nulla ergo est efficiẽs causa quæ non indigeat causa necessaria. Præterea si quidpiam vallet sententia Platonis & Galen.(in physicis autem videtur vallere plurimum)illi statuunt neque Deũ posse quidquam facere sine causa necessaria: Plato quidem in timeo enarrans rationẽ quam Deum in rerum formatione tenuisse putat,ea verò est causis disponendis Galen.10.ca.de vsu partiũ apertè negat posse Deum ex lapide hominem facere, disputatque multis aduersus mosem,quod dixit deum iubendo fecisse omnia. Verùm horum autoritas vallere debet,quatenus veritas non repugnet,cùm hac enim nullius autoritas conferenda est.Si igitur mõstrauerimus Primã causam non indigere causa necessaria,dabimus gloriam Deo omnipotenti,&illos valere iubebimus,dicemus que necessariam causam,agentibus secundum naturam solum,esse necessariam, nõ omnibus,& omninò.Veruntamen siquis perspicatius contempletur, intelligat non posse fieri vt omnes causæ lege causæ necessariæ teneantur,sed esse causam aliquã quæ ea non indigeat,hancq; esse omnium primam.Nam opera quædam sunt posibilia,quædam imposibilia,imposibilium, quædam sunt omninò ac simpliciter imposibilia quædam non omninò,sed ad potentiam quandam,velut volare, simpliciter posibile est,homini imposibile,quod verò simpliciter imposibile,nulli posibile,Simpliciter autem imposibile & omninò,est quod perse est imposibile,habetq; rationem imposibilitatis (liceat toties vti his nominibus)non in potẽtiæ alicuius debilitate,sed in seipso,ita vt quod huiusmodi est,fieri non posit,& si ponatur virtus infinita,quia ratio imposibilitatis non est vt dixi,in virtute,sed in ipso opere, quod persese est imposibile,vt cumque habeat virtus efficiens.Huiusmodi autem solum illud est quod continet in sese repugnantiam:nam si non continet,intelligi poterit facultas facientis à quo fieri posit,quia etsi intelligatur factum nihil sequitur repugnans,ergo neque si intelligatur fiens,neque si intelligatur virtus faciens potest ergo intelligi.Non est ergo perse imposibile quod contradictionem non continet. Omne ergo quod contradictionem non cõtinet est simpliciter posibile,etsi ad aliquã aut ad aliquas causas sit imposibile , est igitur in rebus causa aliqua quæ potest facere omnia quæ contradictionem non cõtinẽt. Nam quod omninò nulla potentia potest facere, omninò est imposibile , siquidem vt omne quod fit ab aliquo fit, ita omne quod potest fieri, oportet vt ab aliquo posit fieri,alioqui posito eo quod po

test,

test,fieri,eueniet vt faciat, & à nullo fiat: causa verò quæ poterit facere omnia quæ non sunt omninò impossibilia,erit infinitæ virtutis,quia quæuis virtus finita potest operando procedere quodantenus,& quocumque possibili potest dari aliud possibile dificilius,ergo qd' potest facere omnia possibilia potentius est omni virtute finita, quare est virtus infinita. Oportet ergo in rebus esse causam aliquam virtutis infinitæ:quod si ita est, illa causa non indigebit aliqua dispositione recipientis vt generet. Nam si aliqua indigeret,vt ab illa dispositione ad aliam quamcumque esset finita ꝓportio,ita ab illa virtute ad quamcumque aliam, quare non esset infinita: si ergo est infinita,potest sine causa necessaria facere. Nam aliquid facere ex nihilo non cõtinet contradictionem: neque enim fit aliquid & nihil, neque ex nihilo & ex aliquo sed ex nihilo aliquid,quod non continet repugnantiam,magis quam ex aliquo nihil ergo neutrum horum est omninò impossibile,sed est virtus quæ possit aliquid ex nihilo facere,& in nihilum redigere. Si ergo monstratum est esse infinitam, est virtus aliqua,quæ non indigeat causa necessaria. Ea verò haud dubiè fuerit prima. Nam primam oportet esse efficacissimam, est igitur prima causa absoluta à causa necessaria & infinita. Non tamen quia infinita est imperfecta. Non enim omne infinitum est imperfectum, dicitur enim velut in comm.monuimus, infinitum quia fine caret, hoc est infinitum actu, atque si quod tale est,est omnium perfectissimum & continens omnia: dicitur etiam infinitum, quasi nondum finem consequutum hoc autem est imperfectum, incohatum, & vt quod continetur. Aristotel. verò nihil infinitum actu esse in rebus putãs generatim pronunciauit infinitum esse imperfectum. Sed De infinito, & causam primam esse infinitam, rursus nobis dicendum est: posse primam causam sine causa necessaria operari nunc monstrauimus.

18

Quid sit motus.

EA quorum ipsum esse est fieri,non immeritò difficile difiniuntur,quia definitiones accipiuntur ab eo quod res sunt,quorum ergo esse nihil est nisi fieri, non videntur definiri posse. Hinc fit vt tã difficiles sint definitiones omnes motus, quibus Phylosophi vsi sunt,atque non minus quàm aliæ,qua Aristo.quę quidem cũ sit difficillima absurdè explicatur. In primis videtur motus non esse vnum genus, quare neque rationem vnam aut definitionẽ habere posse. Si enim motus ad cathegoriam eandem pertinet, ad quam species seu forma,aut denique res quæ motu comparatur cũ (si nomẽ motus hic accipitur propriè) ad tres cathegorias, sin latius ad omnes esse possit motus aliquis, cõstat motus nomen esse,æquiuocum, neque definiri posse. Videtur autem Aristot. ita docere. Nam quid aliud possint significare verba illa capitis primi lib. 3. quare neque motus neque mutatio alicuius est pręter dicta, cũ nihil certè sit præter dicta? Aut enim significatur his verbis, motum eiusdem cathegoriæ esse,cuius res quę motu comparatur aut certè motum nihil esse præter res ipsas quæ mouent. Hoc enim quoque alicui videatur esse verum. Nam quid aliud est ambulare,quam ipse homo ambulans, si autẽ hoc est motus quidem sit substãtia quędã, intelligitur autem omnibus & definitur vt accidens quoddam. Sed producantur difinitiones quibus philosophi vsi sunt, vt videamus quas habeat obiectiones. Plato in dialogo de ente dicit,ipsam naturam diuersi, cum in singulis non ens facit quod diuersum. Id verò nihil aliud est,quam mutationem esse illam alteritatẽ, vt quis dicat, qua ex ente aut non ente aliquid fit ens, aut diuersum ab eo quod erat. Verum hæc difinitio præter alias obiectiones,quas scripsit Aristo. 2. cap. lib. 3. de Physi. doct. quas nos ibi examinauimus,hanc habet maximam, quod nihilo clarior est quàm ipsum definitum,neque tam videtur explicare quid sit motus, quàm hanc eius passionem, fieri scilicet ex contrario negatione aut affirmatione. Aristotel. cap. eodem &. 1. eiusdem libri hanc scripsit, motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia. Sed hac ratione omnes formæ videntur esse motus (quo nihil absurdius) nam omnis forma est actus materiæ quà materia est, materia autem quà materia potentia tantum est ens. Atqne id intelligi maximè potest ex Aristotelea animi definitione. Scilicet animus est actus corporis organici

Definitio platonica motus.

Definitio Aristotelea.

ci potentia vitam habentis. Præterea nomẽ actus duo videtur posse significare aut actionem quam græci vocant ἐνέργειαν aut formam rei cuiusq; quam ἐντελέχειαν motus autem neutrum horum est entis in potentia, quà est in potentia. Nam ædificatio non est actio ædificabilis sed ædificantis, nec forma & ratio qua aliquid est ędificabile est ædificatio. Nam res non potest esse sine sua forma, potest autem esse ædificabile sine ædificatione, nullatenus ergo est motus actus entis in potentia, quà in potentia est. Hæ sunt præcipue ac maximę obiectiones, quas habere potest hæc definitio, cuius obscuritatem recusantes in commentariis aliam definitionẽ proposuimus dicentes motum esse passionem qua id qđ potentia est aliquid, actu fit illud. Nimirum hæc est apertissima, motus enim est in re quæ mouetur vt Aristotel. ipse dicit, & mox disputabimus, estque in illa, quia passio quædam illius est, mouetur autem res vnaquæque cum non manet in eodẽ, sed fit actu in alio, quod potentia habebat, mouetur que, non cum actu habet iam hoc, neque cum potentia tantum, sed cùm fit, cumque est partim in potentia partim in actu, atque cùm migrat de potentia ad actum. Sed quamquam huius meæ definitionis facilitatem laudo, nihilominus non caret calumnia, cõstatque quodammodo id quod definitur contineri in definitione. Nam illud ipsum fieri aut migrare, est moueri. Atque hoc idem vitium esse videtur in definitione Platonis, præter obscuritatem, nam ipsa alteritas, aut facere non ens, est moueri. Quare ego nunc de mea definitione ita sentio, esse non tam exactam, & absolutam omnibus numeris definitionẽ quam explicationem quandam nominis, qua ad vitandas controuersias, si per Aristotelem liceret, possemus esse contenti. Vix enim quisquam est, qui audito nomine motus, desideret definitionem, vt intelligatur qua de re disputetur: cum autẽ nomina sunt huiusmodi (vt docet Gale. 1. de differentia pulsuum) non est opus definitionibus, quæ nihil aliud faciunt quam obscuritatem, & controuersias. Sed quoniã hoc vitari nunc nobis non potest ob classicarum disputationum conditionem. Explicemus quoad fieri potest definitionem Aristotel. & dilluamus obiectiones. In primis non est dubium Aristotel. hoc loco nomen motus vniuersim accipi pro omni mutatione, non tãtum pro motu propriè nuncupato: nam vtitur exemplo ædificabilis & ædificationis, constat autem ædificationem non esse propriè motum, sed mutationem quandam. Porrò quod vulgares enarratores dicunt motum pertinere ad eandem cathegoriam, ad quam forma, quæ motu comparatur, falsum esse & absurdum, & alienissimum à sententia Aristotel. in commentariis indicauimus. Nam Aristot. in cathegoriis calefacere, & calefieri sunt exempla actionis & passionis, quæ sunt duo genera per se, non ergo calefactio pertinet ad cathegoriam qualis ad quam calor, nisi pertinet eadem res ad plures cathegorias. Sed hoc perinde est ac si dicas, si figura non differt numero à re cuius est, figuram esse in cathegoria substantiæ, quo nihil absurdius, quia nihil ponitur in cathegoria nisi secundum suam formam & rationem, etsi ab alio aliquo numerò non differat. Præterea hi ipsi tenerentur aliter dicere, nam mox ponunt alterationem & acretionem esse numero idem cum forma ad quam itur, lationem verò cum re quæ mouetur. Quare oporteret dicere quosdam motus pertinere ad cathegorias formarum, quosdam ad cathegorias rerum quę mouentur. Sed placita falsa statim sunt incerta. An motus numero differat à re naturali, aut à forma, an nõ mox disputabitur seorsum. Nunc dicimus mouere esse in cathegoria actionis, moueri in cathegoria passionis (hæ quoque an sint eadem res, & in eodem, habet disputationem propriam) motus autem essentiam in passione rei quæ mouetur, quare vniuo cum nomen habet, & est vnum genus, & nihil prohibet posse dęfiniri. Si nomẽ actus in ea definitione, quam Arist. scripsit, significat formam & perfectionẽ rei (videtur autem id significare, quia dixit ἐντελέχεια alioqui dixisset ἐνέργεια. Proculdubio vt in cõmentariis indicauimus, non est legitima non quidẽ quia animus aut aliqua alia forma substantiæ esset motus, vt in obiectione dicebatur (forma enim substantię nõ est actus entis in potentia quatenus in potẽtia sed quatenus in actu, cum materia per se nullam habeat formam, sed cum est in actu) sed quia si ędificabilis ratio & forma esset ędificatio, nihil posset esse ędificabile vbi non esset ędificatio, magis quam animal

Propria diffinitio

Dillutiones.

E

mal sine animo, tamen constat nō omnia ædificabilia ædificari. Tria ergo hæc cū sint ædificabile, et quod ædificatur et quod ędificatum est, eius quod ædificatum est actus est forma domus? ædificabilis potentia vt ædificetur, eius quod ędificatur, ędificatio. Ædificatio autem longe differt à potētia vt ædificetur, velut. Et edificabile ab eo quod ædificatur. Quod si dicas motum esse actū entis in potentia, non quà est tantum in potentia, sed quà est in potētia coniuncta cū actu, non videtur fuisse geminandum, entis in potentia quà in potentia. Sed dicendum quà partim in potentia partim in actu. Atque hac ratione fortasse prodiret definitio satis idonea. Hæc scilicet, motus est actus entis in potentia, quà est partim in potentia partim in actu. Nam idem est ædificabile, quod est partim in actu partim in potentia, & quod ædificatur, quare si ædificatio est actus eius quod ædificatur, certè sit actus entis in potentia quà est partim in actu partim in potentia. Hac ergo ratione potest manere integra definitio Aristotelea. Sed subit nunc alia ratio qua ea explicari & probari omnium maximè potest. (Est verò ratio facillima & nihil me pudet non attigisse eam in commentariis, puderet enim magis non quotidie discere) nomen hoc entelechia duo potest significare, formam ac perfectionem rei cuiusque, & id ad quod dicitur, id quod potentia dicitur. Omnis enim potentia alicuius actus est potentia, omnia autem entia in potentia dicūtur, non ad ipsam formam quam possunt accipere, sed ad ipsam mutationem. Velut ædificabile non dicitur, quia potest esse domus, aliud enim est esse domum, & aliud fieri domum, estque vterque actus, alter altero prior: dicitur enim ædificabile quia potest ædificari, & quia potest ædificari, potest esse domus. Actus ergo ad quem primò refertur potentia ædificabilis, quà ędificabile, est ipsa ædificatio, pulchrè autem additur quà ædificabile. Nam si consideretur quà iam ædificatur, non refertur eius potentia ad ædificationem (hanc enim habet actu) sed ad formam domus. Rectè ergo dicitur motus actus entis in potentia quà in potentia. Quoniam autem hîc actus est energia, quia actio quædam (nam passio actio quædam est quodammodo) & entelechia, quia actus ad quem potentia refertur, hoc vt explicaret vtrumque nomen coniugens dixit, ἡ δ᾽. τοῦ δυνάμει ὄντος ὅταν ἐντελεχίᾳ ὄν, ἐνεργῇ, οὐχ ᾗ αὐτό ἀλλὰ ᾗ κινηθεὶ κίνησίς ἐστιν, id est actio eius quod est in potentia cùm est in actu, non vt ipsum, sed vt mobile, motus est. Hac enarratione constat motum non dici actum entis in potentia, quod is actus sit in ente in potentia, quà in potentia, sed quod sit actus ad quem refertur potentia entis in potentia, quà in potentia. Verum est, illa verba quæ inter iecit οὐχ ᾗ αὐτό non quà ipsum obscuritatem magnam addere, quia videtur apertè significare illum actum dici vt entelechiam, nam si dicimus calefactio est actus calefactibilis, non quà ipsum, nam quà ipsum eius actus est forma ligni, sed quà calefactibile, quiuis intelliget eodē modo esse calefactionem actum calefactibilis: quo forma ligni est actus ligni: id verò indicatum est iam esse falsum. Sed dicamus Aristotel. id dixisse, quia actus ille etsi non sit tantum entelechia, quodammodo est entelechia. Quanquam certè melius sit expungere duas illas voculas, ne quid maneat æquiuocum in definitione, ac dicere, motum esse actum ad quem refertur id quod secūdum potentiam dicitur, quà est in potentia. Atque ita diluuntur omnes obiectiones.

An actio & passio sint idem motus, & an sint, in mouente an in eo quod mouetur. 19

HÆc quæstiuncula breui, & perspicuè disputata est ab Aristote. & à me in commentariis, vt possem modo ab ea abstinere, sed vt studiosi facilius adducantur vt deponant sordidas tractationes, quæ de ea occurrent apud classicos, quod toto hoc tempore facimus, morem geramus tempori. Videtur non idem motus esse actio & passio, nam non differrent genere: quare ad eandem cathegoriam pertinerent. Non essent ergo decem cathegoriæ. Prętereà si essent idem, non possent esse in multis, tamen oportet actionem esse in mouente, passionē in eo quod mouetur, alioqui si in altero esset vtrum-

que,

que, oporteret esse agens sine actione, aut patiens sine passione, quam in seipso habeat. Videtur autem fieri non posse vt res aliqua recipiat appellationem aliquam nisi aliquod saltem accidens recipiat, oportet verò accidens inesse eidem substantiæ cui tribuit appellationem. Iam verò si vtrumque, actio inquam & passio, est in eodem, magis consentaneum videtur vt sit in mouente quàm in eo quod mouetur Nam prius natura est mouēs quam quod mouetur, cur ergo sit affectio in posteriori, prætérito priori? aut quo pacto fluat à priori nisi in eo erat?. Hæ obiectiones esse possint contra placitum Aristoteleum (quod Galeni etiam esse indicauimus in commentariis) motum eundem esse actionem & passionem, & hunc esse in re quæ mouetur: quod quidem multò magis consentaneum esse constat quam contrarium Nam si motio esset aliquid in mouēte prę ter motum qui est in eo quod mouetur, necesse esset omne quod inciperet mouere, mutari, acciperet enim motionem quam non habuisset, indicatum autem est Aristotel. & mihi. 8. de Physica doctrina esse aliquam causam quæ moueat, & per sese sit sine mutationibus. Sin autem agere esset accipere in sese actionem, ipsum agere esset accipere & pati: quare dum ista ratione velles actionem à passione separare, faceres magis idem, quia non differrent ratione: Nam prædicatione, vt dicunt, formali agere esset pati: miror proinde quosdam dicere actionem in agente esse quandam entitatem (non possum cum illis nisi suis verbis disputare) diuersam ab illo nam siue numero siue ratione diuersam: dicant, non possunt negare id quod agit, alio modo se habere cùm agit, ac cùm non agit. Quare Deus non potuerit incipere agere quicquam cùm non sit mutabilis. Hæc autem sunt absurda. Quare hoc vnico argumento constat veram esse vtramque placiti partem, videlicet idem esse actionem & passionem, & hoc quod est esse in re quæ mouetur. Id verò hoc etiam argumento constat. Motus est actus entis in potentia, quà est in potentia: eiusdem autem est actus cuius potentia quæ ad eum dicitur: potentia autem est in mobili vt in ædificabili: ergo & actus qui est motus. Neque verò ita sunt idem actio, & passio, vt vestis & tunica, quæ omni ratione sunt idem; sed vt accliue & decliue; quod est numero idem ratione nōn idem Atque quoniam cathegoriæ distinguntur secundum rationes & formas, fit vt actio & passio differant primis generibus, & pertineant ad diuersas cathegorias. Itaque & si actio & passio quodammodo sit idem numero scilicet, quodammodo etiā sunt diuersa, ratione inquam: neque quidem cùm dicimus idem numero, & ratione diuersa esse, intelligimus, vt classici vulgares, motum rem vnicam esse. Hanc verò recipere rationes diuersas, quibus actio & passio fit. Nam si motus quà hic receptus pertinet ad cathegoriam passionis, quà illinc fluens ad cathegoriam actionis, oporteret per se, & quà motum, ad aliam cathegoriam pertinere. Dicunt pertinere hac ratione ad cathegorias formarum ad quas est motus, hoc verò si esset, (vt antea argumentabamur) motus quà motus æquiuocū esset, & pertineret ad multas cathegorias. Si autem esset æquiuocum non posset esse fundamentum proximum vniuoci: quare neque actio neque passio esset vniuocum, neque genus, ergo neque vna cathegoria. Si ergo motus quà passio est in vna cathegoria, & quà actio in alia, qua motus esset in alia. Atque essent plures quam decem. Si ergo non sunt, non ita euenit. Sed nomen motus per se est nomen passionis, nam est passio quędam entis in potentia, quà in potentia. Hæc ipsa passio quà ab agente fluit est actio: suntque actio & passio idem ratione tamen diuersa. Argumentantur; videri non differre tantum ratione, quia nullo intelligente est vera hæc assertio, actio non est passio. Quidam concedunt, & excogitant mille monstrosa responsa: quidam etiam negant, veram esse assertionem nisi quis intelligat. Ego verò rideo audiens intellectione fieri veram assertionem, futuram aliôqui falsam, aut dum video illos putare differre ratione, esse differre opera intellectus, cùm tamen sit differre diffinitione, & forma. Profectò quod intelligitur, quia intelligitur nihil patitur, sed quod intelligit patitur: ac proinde prima causa nihil potest denuo intelligere. Intelligi tamen potest à multis, hoc enim non est pati, sed de hac fictitia differentia dicta satis multa sunt antea, quęstione. 10. passionem rei quæ moue

mouetur quia venit ab agente esse actionē & hac ipsa actione id quod agit appellari agens nūc dicimus. Neque enim necesse est vt id quod appellationem præstat insit, cū appellatur aliquid nō quia afficitur ipsummet, sed quia aliud afficitur. Velut docens dicitur non quia accipit in sese aliquid. Sed quia alius ab ipso accipit doctrinā. Quod verò passio sit in posteriori præterito priori nihil absurdum, cum prius & posterius non eadem ratione dicuntur. Si enim duo mobilia sunt ordine posita, non potest passio transire ad posterius non affecto priori, quia habent eandem rationem. (Mobile enim est vtrumque) nunc autem non ita, sed aliud est agens, aliud pations, quę sunt rationes primò diuersæ. Vt autem passio, si ab agente procedit in illo fuerit, non est opus: non enim ita procedit, sed vt quod fit, si autem fit non præerat. Neque quidem calor qui fit in ligno erat in igne. Sed de breuicula quæstione hæc sint satis.

20 An motus sit idem cum re quę mouetur

MOtū diuersum esse ratione à re quæ mouetur, non est dubium, aliā enim definitionem diximus motus aliam corporis naturalis, est quæ motus passio quædam in re quæ mouetur, an verò differat etiam numero, velut res quędam ab eo diuersa, an non, in controuersia est. Quæ quidem controuersia minimè est Physica. Has enim rationes differendi in rebus omnibus distinguere primæ Phylosophiæ est. Sed hoc quoque attingamus, dicamus que præter rem, quod in quæstione sit verissimum, ne vulgares phylosophos præter rē mentiri patiamur. Quædam accidentium numero differre à substantia cui insunt, quædam ratione solùm, indicatum anteà est: quæ autem sint & quæ non sint diuersa numero, quia non habent classici constitutum, in singulis faciunt longas quæstiones. Velut nunc, quidam dicunt, motū differre numero à re quæ mouetur, & à forma secundum quam mutatio fit (hi nuncupant sese reales) quidam motum re vera esse ipsam rem quæ mouetur, differre verò sola ratione intelligendi (hi nuncupantur nominales.) Alii dicunt accretionem & cōmutationem motum esse numerò diuersum à re quæ mouetur, idem verò cum forma secundum quam motio fit. (Velut calefactum esse calorem fientem, acretionem magnitudinem crescentem) lationem verò quia non possunt dicere esse idem cum loco ad quem itur, dicunt idem esse cū re quæ mouetur. Anteà dixi hoc vitium esse semper realibus & nominalibus: hi non intelligunt differentias rationis præter opus intellectus: illi fingunt mille monstra in rebus nascentia alia ex aliis: quia cùm primum vident esse aliam rationem, putant esse rem aliam numerò. Nos verò vt rem methodo inuestigemus, rursum statuamus (cæpimus enim iam anteà dicere) quæ accidentia sint diuersa à substantia, quę minus. Certè illa different numero, quæ cum substantia possunt numerum facere: possunt autem numerum facere, quæ sunt separabilia ab ipsa substantia, separabilia inquam non natura (ita enim nulla accidētia sunt) sed ab infinita primæ causę virtute. Separabiles autem sunt illæ formæ, quæ per sese habent actiones aliquas, quæ scilicet ipsæ per sese possunt aliquid agere: talia autem sunt omnia sensibilia ꝓpria, velut calores sapores, odores, & tangibilia accidētia, nā hæc sentiuntur perse, & per hæc substātia. Si ergo nō sentiuntur per substantiā, certè neq; omnes operationes habent per substātiam, sed aliquas perse. Nam ipsum sentiri agendo fit, mouendo scilicet sensus organum. Quæcumque ergo sunt sensibilia, perse, possunt aliquid agere sine substātia, ergo & esse. Nam ipsum operari est profectio quædam essendi. Constat ergo posse Deum separare à substantia omnia accidētia quæ sunt sensibilia propria, alia aūt nulla esse separabilia: quia nullū aliud habet actionem propriam. Hinc autem apertè fit motum non differre numero à re quę mouetur, quia non est sensibile proprium. Nā si motus differret numero ab eo quod mouetur, posset separari. Si autem separaretur erit motus cū nihil mouetur. Sed quo pacto? Si.n. mouetur, aliquid est non in eo dē. Atq; hoc eodem argumento fit, non tātum lationē esse idem numero cum re quę fertur, sed & alium quencūque motū cū re quæ mouetur, nā si calefactio est calor, pone calorē panis separari (indicatū enim est esse separabilem) & separatum capere intēsionem, erit motus & nihil mouebitur. Nā

aut mouebitur panis, qui iam non est, qđ repugnantiam continet (quia quod moue tur est in alio & alio) aut calor ipse, cum autem calor crescens sit motus, si calor cre scens mouetur, motus est alius motus, qđ fieri non posse Aristote. monstratum est li br. 5. capit. 2. de physica doctrina. Non er go calefactio est idem cum calore crescen te, ne numero quidem, tam longè abest, vt sit eiusdem cathegoriæ, sed vt latio est modus quidam quo habet id quod fertur, ita alteratio modus quidam quo habet id quod alteratur: qui modus non differt nu mero à re ita habente. Cum autem calor separatus capit intensionem, motus ille non est panis, sed caloris ipsius, qui quia perse potest agere, potest etiam pati aut moueri. Dices motus debet esse corpo- ris physici. Concedo si motus secundum naturam sit, calor verò vt non potest esse extra corpus Physicum cùm secundum na turam, ita neque agere aut pati, sed vtrum que potest per potentiam omni natura ma iorem. Ad rursum rogabis, qui motus sit ille. Nullus enim esse videtur, nam ad locum aut magnitudinem non est, si au- tem est ad qualitatem, non certè ad aliam quam ad calorem. Idem ergo calor mo- uetur ad seipsum, quia nō sunt simul duo calores: non potest autem quidpiam ad seipsum mutari, quia quiduis est in seipso semper: motus verò debet fieri à priuatio ne eius ad quod itur. Respondetur calo- rem qui præ est moueri semper ad ma- iorem, minor verò calor antequam cres- cat habet priuationem maioris, atque a- deò etsi idem calor (quia ex eo quod est, & eo quod accedit vnus calor fit) sit quod mouetur & ad quod mouetur, non ta- men secundum idem, secundum id enim quod existit mouetur in id quod accedit, non est autem calor idem & in eadem in- tensione. Calor enim qui auctus est, idem fuit anteà remissior. Sed vrgebis rursum, si Deus faciat calorem in nulla substantia (nam quod potest esse, potest fieri) illa ca- loris productio nullius rei fuerit motus, nullius enim substantiæ, sed neque calo- ris, quia nullus calor præfuit, qui huius acciperet accessionem. Respondetur eum calorem factum iri per primum in- stans quo fit, cum sit is calor per se subsi- stens: illo autem instanti primo non fue- rit motus, sed mutatio similis generatio- ni, quam non oportet alterius esse, sed e- iusdem rei quæ fit. Sin autem deinceps crescit erit motus caloris primò instanti geniti. Sed de motu hæc sunt satis. Vtinam hanc perspicuam doctrinā barbari sophys matis non perturbarent.

De infinito an possit secun- dum naturam esse in rebus. 21

DE infinito disputata sunt multa in cō mentaris, quo minus opus erit mul- ta nunc repetere, sed dictis paucis ad argumenta mox venire. Infinitū est quod fine caret, potest autem carere, quia nō est natum habere vt punctus, aut quia non ha bet cum habere natum sit. Hoc rursum potest esse duplex, fine enim caret, cuius ductio aut productio fit adhuc, & nullū adhuc finem habet, velut tempus, & mo- tus cœli. Et quod productum est sine fine vt si mundus esset magnitudinis nullum habentis finem. Illud primum abusiuè di- citur infinitum, velut vox inuisibilis, quia non est nata videri. Duo autem reliqua di cuntur proprie infinita. Verum non eo- dem modo. Infinitum enim quod sine fi- ne fit, dicitur infinitum potentia, quia non est actu fine carens, semper enim habet fi- nem aliquem. Velut tempus finitur hoc nūc, sed quia potest sine fine accessionem recipere, vulgo Phylosophorum vocatur infinitum sincathegorematicè, quia infini tas non asseritur de re ipsa, sed simul cum a lio attributo prædicatur. Non enim tem- pus est infinitum actu, vulgaribus infinitū cathegorematicè, finitum & infinitum in- quanto tantum esse dicit Aristote. Atque adeò vt magnum & paruū propriè ac ma ximè de quanto dicuntur, tamen quodam modo etiam de omni eo, quod potest dici secūdum magis & minus. (Dicimus enim magnum & paruum calorem & frigus) ita finitum & infinitum præcipue ac maximè de quanto dicetur. (Atque hac ratione ma ximè pertinet de eo disputare an sit si om- ninò non est, tamen vt constet nō esse, ad Physicam quæ de corpore naturali est) ta- men dici etiam possit de qualitatibus & vir tutibus, nam indicatū nobis antea est pri- mę causę virtuté esse infinitam, quam tamē

omni magnitudine carere. 8. de physic. doctrina monstratum est. Verum hoc infinitum re vera non est Physicum, sed methaphysicum, non enim est corpus. Quare hoc posito, esse scilicet primam virtutem infinitam, de quanto disputemus. Si quę aũt rationes esse videbuntur, quę nõ solũ physicum infinitum, sed omninò tollãt infinitum, dilluentur, vt positis & mõstratis aduersæ. In primis videtur oportere præter primam causam esse aliquid infinitum quod sit illius opus. Nam frustra erit infinita virtus nisi fuerit aliquid quod infinitam virtutem referat. Illud autem infinitum quod fecerit, aut erit incorporeum aut corporeum. Si incorporeum, quandoquidem non erit infinitum magnitudine erit virtute, si autem virtute eodem argumento fit vt ediderit aliud infinitum opus, atque eadem ratio procedet in infinitum, aut perueniet ur ad aliquod infinitum magnitudine. Prætereà extra cœlum aut est infinitus locus, aut vacuum, aut corpus, locum aut vacuũ non esse Aristo. probat. 4. de physica doctrina; superest ergo esse corpus, prætereà in quocumque corpore sunt partes infinitę (nihil autem refert ad numerum separatas esse aut cõiunctas. Nam dicimus duas esse medietates, etsi coniunctæ sint) ergo actu sunt infinitæ numerò partes. Prętereà, mundus secundum naturam potuit esse ab æterno, ergo potuerũt esse actu infiniti homines, neque quicquam refert simul sint, an non maneant simul eorum animi an non. Nam omnes qui fuerunt actu fuerũt. Quin etiã si mundus nunquam esset cessaturus, omnes homines futuri actu essent infiniti. Ergo secundum naturam videtur posse esse infinitum actu in continuata & deiuncta magnitudine. Contra est quod Aristo. contendit non posse esse infinitum nisi potentià, potentia autem esse in tempore & in diuisione continui. In tempore quidem infinitum additione, in diuisione continui infinitum detractione. Diuiditur autem infinitum potentia non quia potest esse infinitum actu (non enim potest) sed quia potentiam habet infinitam recipiendi additionẽ aut detractionem. Atque ita etsi infinitum potentia sit, non tamen proinde potest esse actu. Non posse autem secundum naturam esse multis argumentis constat, quia secundum naturam non fit, nisi res naturalis, res autem naturalis habet figuram, & motum quorum neutrum habere posset corpus infinitum: figuram quidem nõ posset quia figura est finis magnitudinis: motum verò, quia aut esset à medio aut ad medium, aut circa medium: in infinito autem non est medium, quia non sunt extrema adquæ medium referatur. Prætereà cùm quæ feruntur motu recto, contineantur intra corpora cœli, quæ feruntur circulo, si quod corpus esset futurum infinitum eorum quæ mouentur, foret profectò circulo latum. Sed si corpus infinitum circulo ferretur, aliquæ eius partes infinita celeritate mouerẽtur: quare mouerentur in nullo tempore. Nam quò partes corporis circulo lati longius absunt à medio, eò feruntur celerius, in infinito autem corpore, infinitæ partes infinitum aberunt. Non potest ergo esse aliquid secundum naturam infinitum. Neque verò (vt respondeamus ordine obiectionibus) vt prima causa infinita virtute sit, oportet vt infinitam rem aliquam fecerit: Nam vt. 8. de Physica doctrina mihi monstratum est, est libera causa, ac proinde potest fecisse minus quàm posset. Extra cœlum nihil est, quare neque corpus. Aristotel. non videtur illud nihil vocasse vacuum, nihil refert. Partes verò continuati corporis, non sunt infinitæ actu. Sed potentia. Non quidem solum, quia non sunt separatæ, sed quia ne separabiles quidem sunt infinitæ, non enim re vera illic sunt infinitæ partes, sed diuisio est potentia infinita, vt explicatum est. Mundum posse esse ab æterno falsum est prorsum (vt alibi monstratum est) vel hoc argumento, quod fuissent infiniti homines, infinita autem non possunt transigi: quod si id Aristotel. asseruit deceptus est, neque vidit repugnantiam. Quod addidimus in argumento, si mundus nunquam interiturus sit, fieri vt futuri sin actu infiniti, non adeò firmum est, nam falsa est assertio (etsi à plerisque conceditur) omnes homines futuri sunt infiniti. Nam omnes futuri sunt futuri, nunquam autem sunt ab hoc die futuri infiniti. Ergo omnes futuri non sunt infiniti: quare mundum non finitum iri non adeò repugnat quàm non esse factum. Obiectionibus ita respondetur, & his argumentis constat, non posse esse infinitum secundum naturam.

22 An posſit ſupra naturam eſſe infinitum.

AN primà cauſa poſsit infinitum aliquod opus facere venit in diſputationem, videtur autem poſſe, nam ſi non poſſet facere niſi finitum, non eſſet virtutis infinitæ. Præterea ſi eſſe aliquid infinitũ eſſet omninò impoſsibile, neque ipſa prima cauſa eſſet infinita: rurſuũ, oporteret & vt infinitũ eſſe, contineret contradictioně, quam non videtur continere. Præterea nũquam fuit Deus quin poſſet facere mundũ Deus verò ab æterno eſt, ergo ab æterno potuit facere mundum, quod ſi ab æterno feciſſet, feciſſet infinitos homines, quorum animi extarent, & numeraſſet infinitos dies. Præterea Deus agnoſcit partes omnes continui, poteſt ergo numerare quare apud illũ eſt numerus infinitus partium. Præterea videtur poſſe deus replere vniuerſum illud inane, quod extra mundum intelligimus corpore aliquo immobili. Illud verò eſſet infinitum. Tamen cõtra eſt, quòd infinitum factum eſſe continet contradictionem, quia ſi factum finitum eſt, aliòqui eſt infectum, & non factũ Infinitum ſanè fieri poteſt velut tempus, & motus cœli, & diuiſio continui, & infinitum eſſe non eſt impoſsibile ſimpliciter. Nam cauſam, quæ prima eſt, & per ſe eſt à nullo facta, & ſimplicisſima, cum à nullo finiatur, infinitam eſſe neceſſe eſt: tamẽ infinitum eſſe factum omninò eſt impoſsibile. Nam omne quod factum eſt, eſt tranſactum, non poteſt autem infinitum pertrãſiri. Neque oportet quò prima cauſa infinita ſit, vt opus aliquod infinitum faciat (nõ enim poteſt facere quę ſunt omninò impoſsibilia) ſed vt poſsit facere quocumque finito maius: Hoc verò poteſt, quia poteſt omnia vtcumque poſsibilia, eſtque omnipotens. Præterea etſi non ſint opera ſunt quædam illius actiones, quæ referunt virtutem infinitam, velut ex nihilo feciſſe cœlum, vt anteà diximus. Verum non poteſt omnes partes continui ſeparare, neque cognoſcere, poſſet enim numerare, numerus verò ſemper eſt potentia infinitus, & ſemper potes eſſe maior; repugnantiam ergo continet numerum eſſe infinitũ actu, quia ille numerus non fieret maior additione vnitatum. Eadem ratione neque corpus infinitum poſſet facere, oporteret enim vt agnoſceret idq; diſtinctè, quare agnoſceret in eo infinitas numerò partes certæ magnitudinis, quod nõn magis fieri poteſt, quàm numerare omnes partes continui. Quare ſiquis poneret infinitum corpus extra cœlum, deberet illud ponere à nullo factum, nulli diſtinctè cognitum. Iam verò de mundi ab æterno productione, non dubium eſt deum ab æterno eſſe, ac proinde ab æterno poſſe facere omnia quæ nõ ſunt quandocumque autẽ voluiſſet facere, tũc feciſſet, & tunc res incepiſſent: quare non fuiſſent ab æterno. Atque ſilicet vti præceptionibus ſummuliſtarum ab æterno potuit Deus facere mundum, tamen non potuit facere ab æterno. Nam quandocumq; feciſſet, ipſe fuiſſet ante ſuum opificium, proinde nihil factum potuit eſſe ab æterno, neque infinitum. Sed quod infinitum eſt in rebus, eſt quod per ſe eſt, & quod ſimul cum Deo ſemper fuit, factum eſſe nõ poteſt. Quædam ſophyſmata quæ de infinito circumferuntur, in commentariis diluimus. Nunc hæc mihi dicta ſint, quæ eatenus vera cenſeo, quatenus catholicę ęcleſiæ, penes quam eſt veritas, videbuntur.

Quid ſit locus. 23

DIſſertè admodum diſputauit de loco Ariſto. an ſit & quid ſit, & de iis omnibus quæ loco accidunt, atq; ſiquid videtur in eius placitis incertum nos in commẽtariis diximus: tñ ex illis formulas quaſdam diſputationis excipiemus, quę nõ legentibus cõmentaria antequã ad hæc accedant, nõ erunt ſatis. Non. n. repetẽda nũc ſunt, quæ illic ſũt ſatis explicata, ſed illis poſitis argumenta excipienda. In primis videtur locus omninò nõ eſſe in rebus, quia ſi eſſet locus, ille eſſet alicubi (omnia. n. quæ ſunt alicubi ſunt & in aliquo) eſſet ergo cuiuſq; loci alius locus; atque ita cuiuſq; rei loca infinita. Pręterea nõ videtur locus eſſe res aliqua à corporibus diuerſa: Nã aut eſſet elementum, aut ex elemẽtis cõſtans, aut eſſet in rebus intelligibilibus, vt angeli nihil aũt tale eſt locus, Pręterea locus in aliquo genere videtur eſſe debere cauſa, ſi omninò eſt: ſed neque efficiens, neque finis, neque materia, neque forma rerum eſt Pręterea difficile dictu eſt ad quam cathegoriã pertineat, an ad magnitudinẽ, an ad vbi. Nihilominus locũ eſſe in rebus cõſtat ex cõmuni hominũ ſenſu, & quia eſt mot⁹ *An ſit locus.*

ſecundum locum, & quia ſunt loci differẽtiæ: ſunt enim res quædam ſuper aliis, & quædam ad dexterã quędam ad ſiniſtram locatæ: ſupra autem & infra, dextrum & ſiniſtrum, ſunt differentiæ loci. Haud dubiè ergo eſt locus in rebus. Hîc quidem poteſt eſſe quæſtio, an locus differat numero à re locata, an ratione ſolũ, an nullatenus. Nullatenus quidem non poſſumus dicere, quia nihil poſſet moueri loco, ſi enim neque rẽ aliam ſibi adiungeret, neque rationem aliã acciperet, nõ moueretur, ad quã enim formam. Verum an numero differat aut à re continente aut à re locata non antea dici poteſt, q̃ diſputetur quid ſit. Nunc autem dicimus locũm eſſe, verum non proinde oportet vt ſit in alio loco. Nõ.n. omnia quæ ſunt, ſunt phyſicè in loco. Angeli enim nõ ſunt hoc modo in loco, neque omnia quæ ſunt in aliquo, ſunt in eo vt in loco. Sed eſſe in alio multis modis dicitur, eſtque corpus in loco, & locus in corpore, non tñ eodem modo quo corpus in loco: ſed vt finis & forma in materia, ſi locus eſt forma aut extremitas cõtinentis corporis: aut vt materia, ſi eſt materia aut ſpatiũ (hę.n. ſunt de loco opiniones) itaq; corpus eſt in loco & locus eſt in corpore. Sed nõ vt in loco neque loci eſt alius locus. Neque verò oportet locũ eſſe elementum aut ex elementis ſenſibilibus aut intelligibilibus, nõ.n. ponitur eſſe ſubſtãtia corporea aut incorporea, ſed quidam qđ ſubſtantias corporeas comitatur neceſſario. Quod ad genus quo locus eſt cauſæ attinet, ſi eſt forma aut extremitas, quà locus, eſt cauſa formalis ſi eſt materia aut ſpaciũ eſt materialis, quidquid autẽ ſit, locus naturalis vt naturalis, eſt cauſa vt finis motus: magnam enim vim habet mouendi corpora, quæ quidem mouetur illi⁹ gratia. Quod ad cathegoriam attinet nihil refert, ſit locus hoc aut illud, ſiue.n. ſit extremitas corporis continentis, ſiue ſpatiũ, ego non puto eum eſſe magnitudinem, nã etſi in cathegoria quanti poſuit Ariſt. locũ & tempus, non tñ vt magnitudinis ſpecies ea poſuiſſe cẽſeo. Sed ꝙ ſint res magnæ ꝓpriis quibuſdam magnitudinibus, quaſi dixiſſet magnitudo loci, & magnitudo tẽporis. Aut fortaſſe Ariſto. vt diſputãt, ſcripſit ea exempla iuſta ſententiam antiquorum. Nam non eſſe eas magnitudinis ſpecies cõſtat, quia dicimus locum eſſe magnum aut paruum, & æqualem locato, dicimus quoque tempus magnum aut paruum: ſi ergo locus & tempus magna ſunt, nõ ſunt magnitudines: non enim magnitudinis poteſt eſſe alia magnitudo. Nõ ergo locus eſt magnitudo ſed habet magnitudinem, quanq̃ loci magnitudinem & locum, & rei locatę magnitudinẽ nõ puto differre numero, ſed nihil refert, modo differant rationibus, locus ergo ipſe non eſt in cathegoria quanti, ſed vbi, huius differentiæ pręcipuę, & quæ vim habent mouendi corpora, ſunt ſupra & infra, quæ quidẽ dici poſſunt ſimpliciter aut ad aliquid. Simpliciter cum ſignificant partes certas mundi, vt ſuprà eſt quod cœlo eſt proximum, infrà quod medio mũdi. Ad aliquid dicuntur cũ non ſignificant loca certa, ſed ordinem, quem ad res proximas habent (velut dexterã & ſiniſtrã dicit etiam Ariſt. dici ſimpliciter aut ad nos, aut alia ad alia) cum dicuntur ſimpliciter pertinent ad cathegoriam loci ſeu vbi, cum aũt dicuntur ad aliquid, pertinent ad cathegoriã poſsitus, ſeu ſitus, quia nõ ſignificant locum ſimpliciter, ſed locũ ordinis, ſeu ordinẽ locorũ. Sed quando locum eſſe in rebus indicatum eſt, diſputetur quid ſit. Vt Ari. refert, quattuor quas attigimus, videtur apud antiquos fuiſſe de loco ſentẽtię, eſſe ſcilicet formã aut materiã rei locatę, aut ſpaciũ qđ occupat, aut extremitatẽ corporis, à quo cõtinetur. Nõ eſſe aũt materiã aut formã rei ſatis monſtrauit Ariſtot. neque video nũc eſſe in cuiuſquam opinione. Nam locus eſt ſeparabilis à re, vt poſsit manere res ſine loco in quo eſt, tamen forma aut materia nõ eſt ſeparabilis, vt poſsit manere res ſine forma aut materia quam habet, materia enim & forma ſunt intra rem, locus autem eſt externum quidam: ſupereſt vt poſſit eſſe extremitas continẽtis corporis, qua tangit corpus quod continetur, aut ſpatiũ quod res locata occupat: ſi autem extremitas eſſet fieret vt nihil poſſet quieſcere cõmutato continente, velut turris flante quocumque vento moueretur. Mutaret enim continens corpus, eo autem mutato neceſſe eſſet mutari, & illius extremitatem. Nã mutatis nobis, mutãtur omnia quæ in nobis ſunt, quare mutaret locũ, moueretur ergo, ac non maneret. Dicunt locum non eſſe extremitatem quæ cum continẽte corpore mutatur, ſed extremitatem illam, immobilem tamen. Sed cum hoc dicunt, dicunt videri meo, locum eſſe nihil: quia

An locus alicubi.

Quæ cauſa ſit.

Cuius cathegoriæ ſit.

Quid ſit locus.

Locũ non eſſe extremitatem.

nulla

nulla extremitas immobilis est in aëre qui
mouetur: quod si illa quæ est in aëre intel-
ligitur vt immobilis, intelligitur certè vt
non est, quare intelligitur vt locus, non e-
rit tamen locus. Quare non erit locus ens
aliquid re vera, sed quod vulgares vocant
ens rationis, nos autem vocamus ensficti
tium. Dicunt, cùm mouetur aër qui conti
net, mutari id quod est locus (alij dicũt lo-
cum materialem) sed non mutari locum
(vocant locum formalem) itaque manere
locum eundẽ numero secundum formã,
hunc verò in diuersas materias succedere.
Sed quo pacto potest idem numero acci-
dens fieri in diuersis rebus subiectis, maxi-
mè si principium quod vocant indiuidua-
tionis à materia capitur? Præterea fieret vt
cœlum non esset in loco, ac proinde vt nõ
moueretur loco. Arist. cõcedit cœlum nõ
esse in loco secũdum se totum, ac proinde
neq; moueri loco secundũ se totũ, quodã
modo aũt esse in loco & moueri loco secũ
dum partes scilicet. Nimirum partes esse
in partibus. Sed hæc meo iudicio sunt ab-
surda, nam ipsemet dicit alio modo esse a-
liquid in aliquo vt in loco, alio vt partes in
toto, aut partes in partibus: Dicit partes
in partibus non esse vt in loco actu, sed po
tentia: Verum constat non posse moueri
loco, nisi vt sint in loco; ergo mouentur
etiam potentia, non actu. Quare neque to
tum cœlum neque eius partes mouebun-
tur actu, videtur autem hoc esse falsum, nã
cœlum actu mouetur circulo; ergo actu
mouetur loco: atque adeò prima & per-
fectissima lationis specie. Argumentum e-
nim est ab specie ad genus. Accedit quòd
neque partes omnes cœli sunt in aliis par-
tibus, nam quæ spectant ad externam par-
tem nullis continentur: quare neque se-
cundum se totum erit cœlum in loco,
neque secundum partes omnes, sed secun
dum quasdam, quędam autem alię neque
actu neque potentia erunt in loco: quare
illæ neque actu neque potentia mouebun
tur, sed quiescent omninò, cùm aliæ mo-
ueantur: quare cœli, quod circum fertur,
quædam partes mouebũtur, quædam nõ:
Hoc autem fieri nõ potest, quia continuũ
est cuius partes mouentur simul. Constat
ergo his argumentis locum non esse extre
mã superficiem corporis cõtinentis. Ergo
Locũ esse superest esse id spatium, quod corpus occu
Spacium. pat, illud scilicet secundum quod partes
corporis distant, quod quidem constat æ-
qualem magnitudinem habere cum cor- *Obiectio*
pore. Sed neque hæc sententia caret mul- *nes.*
tis obiectionibus. Nam illud spacium aut
est aliquid ab ipso corpore diuersum re ve
ra, aut non: si est quidem, illud habet dimẽ
siones proprias, & propriam magnitudinẽ
præter magnitudinem corporis, nam ali-
ter neque esset æquale corpori neque ca-
pax illius, si autem hoc est, erit dimensio-
num penetratio: si verò non est aliud quã
ipsum corpus, fit vt locus re vera nihil sit,
sed ens quod vocãt rationis, quod scilicet
opera intellectus fiat, hoc verò nos dixi-
mus esse fictitium. Sed his obiectionibus
ita occurrendũ est, ratione differre locum *Respon-*
à re quæ in eo est, antea est indicatum, ta- *detur.*
men numero ab ea nõ differt, sed est quid-
dã quod in rebus ipsis intelligitur, ob mo-
dum quendam habẽdi, qui corporibus na
turaliter contingit. Nam spatiũ illud est ve
lut materia nõ substãtię corporeę sed ma-
gnitudinis ipsius. Nam pręter ipsam rem,
spatium ipsum re vera nihil est, neq; sunt
aliæ dimẽsiones spacii alię magnitudinis,
sed eædem. Nimirum spaciũ ipsum si res
tollerentur, nulla res esset, sed velut mate-
ria magnitudinis sine magnitudine: quare
haberet dimensiones potentia, quia posset
capere corpora, actu tamen haberet nul-
las, quia nullam magnitudinem haberet,
accepto deinde corpore haberet actu di-
mensiones, quas habebat potẽtia, easdem
scilicet quas corpus. Quia nõ est illud spa-
cium alia magnitudo, sed huius materia.
Si ergo magnitudo non differt numero à
re quanta, neque locus differt numero à
magnitudine corporis, certè neque locus
differet numero à corpore locato: magni-
tudinem autem non differre à re quanta
apud me non est dubium, quia si ita differ
ret, esset separabilis: non potest autem in-
telligi quantitas cùm nihil sit quantum:
neque quidem hoc ipsum esse quantũ, est
aliud quàm habere partes separatas secũ
dum distantias aut dimensiones. Obiiciũt
quidam in eucharistia esse magnitudinem
sine pane, id quidem verissimum est, quia
est diuino oraculo cõfirmatũ, cæterum
non est ea magnitudo sine quanto. Cãdor
enim est quantus, & quod cùm inerat ha-
bebat per aliud, per se existẽs per se habet,
velut de actione nuper dictum est, cum de
motu loqueremur, id verò ita habere con

ſtat, nã ſi magnitudo eſt ſeparabilis à ſubſtantia quæ eſt quanta perſe, multò magis ſeparabilis ſit à reliquis accidentibus, quæ ſunt quanta per accidens. Finge ergo vt ſublatus eſt panis, ita tolli candorem, & calorem, & duritiem & alia omnia accidẽtia quanta, num poterit manere magnitudo? Non ſane. Ergo magnitudo idem eſt aut cum ſubſtantia, aut cum aliis accidẽtibus: conſtat autem potius oportere vt idem ſit cũ eo quod eſt pſe quantũ. Quare ſi locus eſt vt materia magnitudinis, profectò non differt nũero à re locata: neq; verò proinde eſt ens fictitium, quod alii vocant ens ratiõis. Nã locus nõ eſt corpus ipſum quà hoc, ſed quà hoc modo habens puta occupans hoc ſpacii, & tam diſsidentes habens partes: Hoc autem modo habere nõ eſt fictitium: nã re vera ita habet. Sed obiicies rurſum, aut locus trãsfertur cum re locata cùm mouetur, aut non, ſi trãsfertur, fit vt locus non ſit immobilis, quod quidem nõ eſt verũ. Nam ſi loc⁹ moueretur, loci eſſet alius locus: ſi non trãsfertur, fit vt res poſſit eſſe ſine hoc loco, & hic locus ſine hac re, quare different numero. Poſſe autẽ ita fieri conſtat, nam tranſlata re in alium locum, hæc res erit ſine hoc loco, & hic loc⁹ ſine hac re. Fiet prætereà vt idem accidens ſit in multis ſubiectis, & vt migret de ſubiecto in ſubiectum: nam vt nunc eſt accidens huius rei quę hic eſt ita poſtea erit alterius quæ huic ſuccedet. Sed quo pacto erit idem numerò accidens in diuerſis materiebus, ſi principium quod vocant indiuiduationis eſt materia? Certè locus non transfertur cùm re ſed eſt immobilis, vt ſi quis hic intelligat quãdam partem infiniti vacui, æqualem huic corpori, transfertur quidem corpus manet autẽ illud ſpatium quod per ſe nihil eſt, ſed idem cũ corpore quod hìc ineſt, aut inerit, nùnc quidẽ cum eo quod ineſt, poſteà cum eo quod inerit. Neque verò hoc eſt abſurdum, nã quod dicebatur, principiũ indiuiduationis eſſe materiam, de materia ſubſtantiæ ex qua cum forma fit vnum intelligi debet: Nam accidentia non habent à ſubſtãtiis vt ſint hæc. Si enim Deus hunc candorem quem ſeparauit à pane, adiungeret ligno, non faceret alium candorem, idem enim eſſet in ligno, qui fuiſſet in pane. Quare hac ratione nihil impedit idem accidẽs eſſe in diuerſis ſubſtantiis. Sed & quod frequenter negatur poſſe accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum, aut poſſe eſſe idem numero in multis, intelligi debet de accidentibus quæ intrinſecus ex ipſa re veniunt. Quæ enim accedunt exterius (vulgus phyloſophorum vocat relationes extrinſecus aduenientes) poſſunt in diuerſis eſſe eadẽ, quia principium identitatis (vt ita dicatur) aut differentiæ, vt exterius ſunt, ita exterius habent. Sunt autem interna in rebus, vt cãdor, & calor, & durities, vt huiuſmodi: externa, vt locus, & tempus conſtat verò & ſi Ariſt. concedit tempus non differre numero à motu, non tamen eſſe tot numero tẽpora quot motus, ſed omnes motus nunc agi in eodem numerò tempore, ita ergo locus poteſt eſſe idem numerò diuerſis rebus & ab illis ſeparari, etſi numerò non differat à quauis cùm hìc eſt. Nec verò proinde non rectè refutauimus ſententiam de vltima ſuperficie corporis continentis. Nam non poteſt habere hanc eãdem dilutionem obiectionis. Nam vltima ſuperficies corpori contento erit externa, continenti autem interna: nos autem non ponimus locum, vt accidens internum rei alicui, ſed externum rei locatæ, nulli autẽ internum, ſed potentia tantum exiſtentẽ in vacuo, quod per ſe nulla res eſt, ſed potentia eſt magnitudinis materia: quare vt materia nõ poteſt eſſe ſine forma hac, aut illa, ita ſpatium non poteſt eſſe vacuũ ſine magnitudine hac aut illa. Sed adhuc videtur quadam ex parte obiectio eſſe difficilis ſcilicet quia hęc res poteſt eſſe ſine hoc loco, & hic locus ſine hac re, oporteret differre numerò. Sed oporteret quidem, ſi poſſet vtrunque ſeparari ab alio perſe, ita ſcilicet vt res fieret per ſe ſine loco, & locus ſine re, ita vt nihil aliud eſſet quam locus ſeparatus à re, hoc autem fieri non poteſt, non enim hæc res eſt ſine hoc loco, quia hic locus ſeparatur à re, ſed quia alia res incipit fieri vbi hæc erat. Si verò hæc res & hic locus, duæ res diuerſæ eſſent, poſſet Deus ponere vtrãque ſeorſum per ſe ſolam, quod ſi dicas id quoq; fieri poſito vacuo, vbi erat corpus, reſpondetur, vacuum non eſſe locum actu, ſed potẽtia ſolum vt dictum eſt. Fateor vtcũq; quis ſentiat, quæſtionẽ de loco eſſe difficillimam, tamen in tanta difficultate hoc eſt viſum maximè probabile. Nam iuſta hãc ſententiã vt in cõmentariis dictũ eſt, cœlum eſt

in lo

in loco proprissimè ac mouetur in loco, & tota rerum vniuersitas est in loco, non minus quàm quæuis in ea pars, vt locus pertinet ad cathegoriam quāti, nam occupat spatium sibi æquale: Vt autem pertinet ad cathegoriam vbi, hoc interest, ꝙ quæ vis pars habet vbi, quod definiri potest ad alias partes, velut terra est in medio, ignis autē suprà: totius autem vniuersitatis vbi non potest definiri nisi per partes illius, quia extra illam non est aliud corpus, ad quod dicatur, definitur autem ipsum vbi quadā relatione. Sed quid sit locus dictum iam est, de modo quo angeli sunt in loco nihil ad physicum, quia non sunt in loco physicè cùm non sint corpora, si autem sunt metaphysica inserenda, nō erit satis disputare de loco angeli, quare melius sit abstinere.

24 Quæ vis insit loco.

ARist. 1. cap. lib. 4. de physica doctrina dicit admirandam vim esse in loco, vnde variæ phylosophorum sentētiæ natæ sunt. Imaginantur plerique esse totius spacii, quod intra cœlum infimum est quatuor partes secundum altitudinem dimēsas, quas esse dicunt regiones, & loca elementorum immam quidem partē, & quæ medium tenet, terræ, huic proximā, aquæ supremam ignis, reliquam aëris. His regionibus dicunt quidam vim esse seruandi sua corpora, quidam dicunt trahendi, quidam vtranque, atque proinde res ferri naturaliter in ea loca, quia trahuntur scilicet, aut vt seruentur. Esse autem tales vires his regionibus contēdunt, quia (dicunt) quæ feruntur tanto maiorem impetum capiunt, quāto illis locis propiora fiunt. Cū enim lapis deorsum ruit, quantò plus progreditur, tāto maiori fertur impetu, constat verò vt quanto plus progreditur, tanto fiat loco naturali vicinior: ergo (dicunt) quanto fit loco naturali vicinior, tāto fertur celerius: quare euenit quidam simile ei quod in ferro, quod quāto magis accedit ad magnetem, tantò celerius rapitur. In primis hi omnes non loquūtur Aristotelicè, & si Aristotelicos se esse profitētur. Nam si regiones illæ sunt loca naturalia, constat ea spatia esse, non extremitates corporum continentium. Deinde quo pacto illa spatia possint illas vires habere: nā aut eas habent illa spatia præter corpora; aut corpora quæ sunt in spatiis: si spatia præter corpora, sunt ergo ipsa per se actu aliquid, quare & magnitudines, & habentia dimensiones, quare non capient corpora, aut erit dimensionum penetratio. Sed quia hoc fieri nō potest, indicatum est spatium nihil esse actu diuersum à corporibus, si ergo virtus talis erit, ea erit in corpore, atque hoc sane quidam antiquorum dicebant: terram videlicet trahere ad sese terreas glebas, aut has accurrere ad totam terram similitudinis & cōseruationis gratia. Sed si ita esset, fieret vt si terra tota poneretur iusta cœlum in regione ignis, & glebula quædam dimitteretur à loco aëris, ea naturaliter ascēderet ad totam terram, & tota terra ibi quiesceret naturaliter (Glebula enim iret ad simile, tota terra non haberet ad quam accurreret.) Sed si hoc ita futurum esset, profectò & nunc glebæ, & lapides descenderent versus cētrum terræ, & non versus centrum mundi, si modo extra centrum mundi centrum terræ positū est. Quod si dicas eam vim neque esse soli spatio & perse, neque corpori perse, sed huic corpori hîc existenti, fit vt terra in loco ignis posita, gleba quæ à loco aëris demitteretur, neque sursum neq; deorsum iret, sursum quidē non iret, quia non esset illic spatium medium, deorsum autē quia non esset ibi terra, sed præter hæc constat ex his quæ contingunt, nō esse talem vim in iis locis, neq; earum gratia corpora moueri. Primùm, quia oporteret vt verum esset quod accipiunt, videlicet, vt quanto corpus quod fertur proprius fieret loco, tanto celerius ferretur: hoc autem euenit nonunquam per accidens, nō tamen semper; neque perse. Si enim perse hoc eueniret, vndecunq; erupisset corpus, tanto celerius moueretur quanto esset loco vicinius, quare si quid demitteretur ex hac fenestra, statim ac demitteretur, ferretur celerius, quam quod cum æquali pōdere veniens ex media aëris regione, fenestrā superiorem nunc attingeret: quia fenestra humilior vicinior est centro quā superior: Oporteret etiam vt tanto plus ponderis haberet quodcunque, quanto esset in humiliori loco, quare non parum interesset imma an sublimi domo trutinaretur, at verò hoc non ita est, vt licet cuiuis experiri, sed tanto celerius descendit quodcunque,

quam

quanto ex altiori loco emissum est, & si à medio adhuc longius absit. Causa ergo maioris celeritatis nulla est in vicinia loci, sed in longinquitate termini à quo moueri res cœpit. Præterea si in iis regionibus esset talis virtus, & eius gratia corpora mouerentur, cùm primum attingerēt eas regiones moueri cessarent: quare si quis facta longa fouea in terra deorsum versus, demitteret lapidem aut terræ glebā in ore foueæ, maneret ibi pendens, intra regionem scilicet, & fruens virtute. Non ergo sunt tales virtutes sed mouētur crassa hûc, tenuia illuc, vt eo ordine locata sint, quo maximè seruari possunt (nam indicatum est antea causas naturales operari finis gratia) is verò est, quem nunc habent, terram aqua, hanc aëre, hunc igne, (si forte hic habet locum peculiarem) continēre, quia vt Arist. probat cap. 5. lib. 4. non aliter fieri potuit, vt vnumquodque esset, iusta id quod sibi esset maximè simile, & nullum iusta aliud sibi omninò contrarium, & vt nos addidimus in commētariis, quia ita maximè frui possunt cœli virtutibus, & influentiis, positis scilicet tenuibus super crassis. Atqui indicatum mihi illic est huius ordinis gratia moueri omnia, quiescere verò cùm ad sibi proxima habent idoneum ordinem. Quod verò hoc habet controuersiæ, ad contemplationem de cœlo & mundo remittatur, nunc indicatū sit, non esse locis ipsis vires aliquas tales, sed vt explicatū est.

25

De vacuo.

VAcuum esse posse in rebus multis argumentis videtur constare. In primis quia non videtur, vt aër mutetur in aquam, necesse esse aliā rem moueri. Sed videtur aliis quiescētibus solo frigore posse mutari, hoc verò admisso solùm, fit vacuum, quia minorem locum occupabit aqua ex aëre facta, quā aër ex quo facta est, reliquum ergo loci erit vacuum. Deinde extra cœlum est vacuum (nā quid aliud?) cur ergo non possit esse intra? Quinimò non solum videtur posse esse vacuum, sed etiam oportere vt sit, nam sine eo nihil videtur posse crescere. Nam necesse est quo res crescat, vt alimentum per totam ipsam subeat, si autem intra eam nihil est vacui, non poterit subire nisi substantiam ipsam penetrans, necesse est ergo, aut esse substātiarū penetrationem, quam nemo concedit, aut esse vacuum. Prętereà multis experimentis videtur apertum fieri, esse res omnes interius vacuas. Nam si quis in lebetem cinere plenum infundat aquam, non minus aquæ capiet, quam si esset vacuus sine cineribus. Sed neque motus esse posset, quia si nihil est vacuum, necesse est quo aliquod fertur, aliquid inde abscedere, & aliud rursum, quo illud atque ita vno moto moueri simul omnia, si hoc ergo non ita fit, constat esse vacuum. Prætereà neque densatio neque rarefactio esse posset sine vacuo, nam densatio fit partibus coëuntibus, rarefactio abscedentibus, si autē nullos poros habēt interius vacuos, secundū quos plus aut minus distent, non possint abscedere neque coire. Alia tamen ex parte videtur vacuum omninò esse non posse: quia vacuum nihil est, nam est locus nō repletus corpore, vbi autem non est corpus, non est locus: Deinde quia si posset secundum naturam esse vacuam, non esset necesse duo corpora dura quæ se tangerēt moueri simul: videmus autem id necessariò ac semper fieri, quia eleuato vno & manente alio fieret inter ea vacuum, quod fieri non potest. Prætereà si vacuum esset, posset aliquid per illud fieri, illud autem ferretur in instanti, quia ferretur celeritate infinita, cùm nulla esset resistentia quæ modum poneret, ergo non potest esse vacuum in rebus, magis quam motus sine tēpore. Certè vacuum non potest esse secundum naturam, nam præter dicta, fieret vt mundus non esset vnus, totus, & cōtinuatus, ac proinde neque perfectus, neque bonus. Quare nisi Deus eam rebus naturam indidisset, vt quoquo modo, siue quiescendo inquam, siue mouendo, continuitatem vniuersi retineret, nondum fecisset perfectum opificium: sed indidit, ac proinde vacuum non potest secūdum naturam esse. Quare si aër abit in aquam, hac ipsa natura, quam Deū indidisse dixi, prosequitur mox vicinus aër, aut quicquid circūstat, vt repleat locum, quem crassescens aër destituit. Extra cœlum esse vacuum: Aristo. negat, quia non potest repleri, nō enim dicimus esse priuatum, nisi quod potest accipere. Verum ego non recusarem concedere esse vacuum, quia si illud non est vacuū neque si hic vbi ego sum, me abscedente nihil

hic maneret, esset vacuum. Nam mox mōstrabitur illud si semel factum sit, nō posse amplius repleri nisi à prima causa; ab hac verò extra cœlum etiā posset sisti corpus: sed nego hanc consequutionem: est extra cœlum, ergo potest esse intra. Immò quia extra cœlū nihil est, & ipsum cœlum (mundum intelligo) est totum vnum & perfectum, intra non potest esse. Quod nihil crescat sublato vacuo, non fit, nam nō tollimus poros, sed negamus eos esse vacuos. Ita etiam cineres accipiunt aquam partim suæ siccitate absumentes, partim imbibentes secundum poros, qui erant pleni fumo, aut aëre aut substātia aliqua tali; nam omnis substantia est peruia substantiæ tenuiori. Multò minus opus est siquid mouetur succedere in vacuum, aut moueri omnia, nam possunt res quædā aliis quiescētibus sua loca commutare, velut in clepsydra faciunt aër & arena. De densatione & rarefactione, atque de motu corporis in vacuo, seorsum disputetur. Potest autem disputari de motu in vacuo, quia etsi vacuum secundum naturam esse nō potest, tamen non est omninò impossibile. Nam prima causa, à qua facta esse & pēdere semper omnia anteà indicatum est, possit rursum in nihilū redigere, & omnia, & quæcunque, & vbicunque.

26 De motu in vacuo.

ARist. cap. 8. lib. 4. probat non esse vacuum quia si esset, corpus graue aut leue in eo positum moueretur in nullo tempore. Ratio autem monstrationis est hæc, tanto quidquam fertur celerius, quanto per medium rarius, (quia celeritas maior aut minor nascitur ex resistētia maiori aut minori eius quod patitur: Patitur verò medium à corpore quod fertur) sed quocunque medio vtcunq; raro potest dari aliud quacunque proportione rarius, ergo quacunque celeritate motus, qui per medium fiat, potest dari alia celeritas motus per medium quacunque proportione maior, & motus per vacuum erit celerior quocunq; motu per medium: ergo eius celeritas erit maior quacūque finita: erit ergo infinita, & quanto motus celeritas est maior, tanto tempus quod in illud insumitur est minus, ergo tempus motus per vacuum erit quocūque tempore minus, ergo nullius magnitudinis: nullum ergo tēpus erit, sed nunc temporis. Quidam sunt qui in hac monstratione acquiescunt, atq; hanc esse sententiam Arist. non negāt, sed dicunt fieri non posse vacuum, verum eo posito hoc fieri. Alii negant, etsi vacuum ponatur hoc euenire, quia hoc fieri (vt scilicet motus sit in nullo tempore) est simpliciter impossibile, & contradictionem continet: tamen vacuum esse, non est possibile simpliciter, quia fieri potest à prima causa. Præterea, qa si motus qui sine resistētia fit, in nullo tempore faciet, oporteret cœli motum esse huiusmodi, quia sine resistentia fit: At verò is certò quodam tempore agitur. Hic ergo negant, si motus sine medio fiat, in nunc temporis fieri: respondēt monstrationi, non omnem resistentiam esse ex medio, sed habere res omnes resistentias quasdam internas, velut cum ego leuo brachium, non solum resistitur meæ facultati à medio aëre, sed multò etiā magis à pondere ipsius brachii. Ergo (dicunt) etsi tolleretur resistentia medii, maneret interna, quæ motum aliquatenus tardaret, faceretq; certa quadam celeritate esse.

Resistentia interna.

Verum argumentatur Arist. si per vacuū moueretur aliquid aliqua certa celeritate, fieri vt moueretur aliquid per vacuum eadem celeritate qua per plenum, aut etiam minori: quia si celeritas per vacuum eius certa quædam, illius. Et celeritati per hoc plenum, aliqua erit proportio, erit verò aliud medium quod eadē proportione sit rarius quàm hoc, quare motus per illud erit ęque celer, atque per vacuum. Sed hi respondent, nisi resistentia aliqua esset interna, ita futurum, cùm tamen hæc sit, non posse fieri vt aliquid eandem proportionē facultatis mouentis habeat ad resistentiā internam solam, quàm internam cum aliqua externa. Verum tenentur hi cōcedere (neque iusta illorum placita est absurdū) posse rem aliquam moueri per plenū eadem, atque etiam maiori velocitate, quā alia per vacuum. Nam fieri potest, vt alicuius rei resistētia interna sit maior, quàm alterius interna & externa. Pro Aristotele verò respondent, eum nō dixisse quòd ita futurum esset posito vacuo, sed posito vacuo, atque si sola resistentia medii esset. Cæterum quicunque vollet attentè legere caput illud Aristotelis, neq; volet seipsum

vltrò

vltrò fallere, intelliget eum affirmare, si quid ferretur per vacuũ, latum iri in nullo tempore: nam hęc dicit, vt colligat non posse esse vacuum, quod tamen si alia Hypothesi esset opus, non colligeret. Neque sane resistẽtia aliqua interna esse potest in corporibus simplicibus. Nam aut ea mouentur per sese, aut ab alio, si per sese, omnes partes mouent sese, cùm omnes sint eiusdem naturæ cum toto, nulla ergo pars resistit, quia non potest eadem pars resistere motui quem ipsamet secundum se totã ciet: si mouetur ab alio, & motus est naturalis, ipsa secundum se totam habet naturalem promptitudinem eò versus eundi, ergo nulla eius pars potest habere vim resistendi, alioqui eadem pars secundum se totam habet impetus contrarios: non ergo corpus simplex potest habere resistẽtiam internam. Quare si ponatur corpus, quod feratur, simplex esse sit (quod monstrari cœperat) si feratur per vacuum, vt feratur in nullo tempore. *Decisio.* Profectò si vacuũ esset, & in eo corpus aliquod poneretur, non posset moueri, neque in tẽpore quidẽ neque in nunc. Nam non magis agi potest motus secundum locũ, nisi per locũ actu, quam potest aliquid calescere, sine calore actu, vacuũ autem non est locus actu. Sed si per vacuũ moueretur quò versus moueretur? Aut cur potius huc quam illuc? Nã in vacuo non sunt differentiæ loci, quiescceret certè in seipso, quodcunque corpus poneretur in vacuo: velut si alia omnia quæ in hac vniuersitate rerũ sunt, Deus in nihilum redigeret, sola terra relicta, ea certè quiesceret, nõ enim esset quo rueret. Itaq; per vacuum non potest fieri motus secundum naturã: atq; eadẽ ratione, si deus modo inter res, aliqua sublata, faceret vacuũ siue id magnum siue paruum foret, nnnq̃ posset secundum naturã repleri, quia non posset nisi corporibus, quę vacuo separata sunt, per id coëuntibus, coire autẽ nõ possent nisi motę. Quare si moueri per vacuũ nihil posset, id vacuum nunq̃ repleretur, sed perinde esset ac, si ibi, quà res quæuis vacuo finiretur, esset mundi finis, velut nunc in extrema cœli superficie est. Quid ergo est quod Aristoteles dicit? Non certè si in vacuo poneretur corpus futurum vt moueretur in nullo tempore, sed si corpus moueretur in vacuo, futurum vt in nullo tempore moueretur, est autem hypothesis vtraq; ex parte impossibilis, quia neque potest esse vacuũ, neque in eo quid quam moueri. Sed dices, si hoc ita est Aristolis argumento nihil efficitur. Nam non fit vt dato vacuo fiat motus in nullo tempore, siquidem in eo nõ fiet motus. Ita est tamen Aristo. rectè argumentatur aduersus antiquos, qui ponebant vacuum gratia motus. Illi enim dicebant vacuum esse vt per illud res mouerentur, ponebant itaque vacuum & in eo motũ, quibus positis fiebat motus in nullo tempore: quare aduersus illos rectè colligebatur. Itaq; argumento superioris capitis respõdemus negantes si vacuum fieret aliquid per illud latum iri, et concedentes si ferretur latum iri in nullo tempore. Sed dices ex dictis fieri vt ferri aliquid per vacuum sit simpliciter impossibile, ita vt ne à Deo quidem fieri possit, quia posito motu in vacuo fieret motus sine tempore, quod simpliciter est impossibile, quia contradictionem continet. Tamen non fit, nam motus in vacuo non potest ab aliqua naturali causa fieri, potest autem à Deo (posset enim corpus aliquod per infinitũ illud inane, quod est extra cœlum, infinitum mouere) ab eo autem non fieret in nunc, sed qua celeritate ipse vellet. De celeritate cœli quæ certa quędam est, etsi sine resistentia agitur, alia est ratio: nã cœli corpus esse censetur simplex, si ergo per se mouetur nullam habet resistentiam internam, sed neque si mouetur ab intelligentia resistit illi, quia eo motu natum est moueri quo mouetur. Est qui dicat cœlum moueri ab intelligentia tanto motu, quanto ab ipsa intelligentia agi potest, quanquam non resistatur ei, quia non posset cœlum moueri celerius sine suarum partium penetratione. *Cœlũ vt moueatur.* Falsum & absurdum. In primis oporteret omnes orbes æquali celeritate ferri, quia qui tardius fertur, posset celeritate qua fertur alius sine partiũ penetratione ferri. Deinde oporteret orbes, quãto essent maiores, tãto circuire tardiꝰ, quia tãto plures & maiores habẽt partes, quare magis periclitarentur habere penetrationẽ. Deinde fieret vt illa esset summa celeritas, quam motus aliquis posset accipere, (summa verò simpliciter, & ad omnem potentiam) Aristo. autem probat non esse summam celeritatem motus, quia non est minima pars temporis. Cùm ergo tempus motus

semper

semper posit esse minus, constat celeritatem posse esse maiorem. Sed quis dicat, nō posse Deum facere, vt sol duodecim horis circueat totum cœlum? Profectò fieret vt ea mora, quam traxit sol cū stetit Gedeoni illum ab aliis astris auertisset, & figuram astrorum in hunc vsque diem permutasset: quia non potuisset sol maiori, quàm cō sueta ei est, celeritate moram, quam traxerat, compensare, vt ad naturalem locum redisset. Quid ergo est quod de motu cœli nos dicimus? Certè quòd in commētariis. moueri illud per sese à sua forma, moderari verò illius motum & modum celeritatis ponere intelligentiam. Sed de hac quæstione hæc sunt satis.

De raritate & densitate.

27. Raritatem & densitatem ponebant antiqui in vacuo, cuius in ipsis reb⁹ plus aut minus esse putabant, quia non videtur quo pacto possit quod maiorem locum occupat, à minori capi, aut quod exiguo continetur maiorem occupare, nisi partibus quæ magis distabant coëuntibus, aut quæ propè erant longius factis. Si autem totus locus aëris secundum se totum aëre plenus est, non possunt partes magis coniungi, nisi se penetrent, neque possunt abse abscedere, nisi quid vacuum relinquatur. Necesse est ergo inter partes rei cuiusque quædam vacua esse, quæ partibus abscedentibus, & corpore rarescente maiora fiant, & partibus coniunctis, & densato corpore, minora. Cæterum Aristot. qui vacuum neque in rebus ipsis neque separatum esse monstrauit, non potuit acquiescere in hac sententia. Quare negauit raritatem aut dēsitatem ita fieri, sed ipsam rem secundum se totam, cum est rara, esse potentia densam, cum densa, esse potētia raram, ac proinde dēsari & rarescere non cōgregatione & separatione, sed quadam mutatione propriæ substantiæ: velut aër, qui cum densatione fit aqua, præter partium congregationem subit mutationem quandam. Sed vt in commētariis monuimus, hoc quod Arist. dixit, non est docere quō pacto fiat densitas & raritas, sed dicere non fieri magnitudine aut exiguitate vacui, respondereq; argumento. Itaque dixit Arist. quo pacto nō fiat, sed quo pacto fiat nondum dixit: Quare oportet vt nos dicamus. Eorum quæ densantur, quædam fiunt etiam crassiora, velut aër cùm fit aqua, aut mel cùm densatur ad ignem, quędam tantum densantur, velut aqua cùm gelascit. Quæ densantur simul & crassescunt, non dubium est præter congregationem partium accipere mutationē aliquādo secundum ipsam substantiæ formam, vt cùm fit ex aëre aqua, aliquando secundum substantię modum, vt cùm mel concrescit: mutari enim ipsas mellis partes per se constat, quia si soluatur mel dilutū aqua, aut vtcunque aliter posit, nūquam redibunt partes ad priorem tenuitatem tamen quæ densantur tantum, secundum suam substantiam aut substantiæ modum nihil videntur pati: aqua enim quæ concreuit, soluta eandem omninò tenuitatem & reliqua omnia eadem prę se fert: quare constat nihil eam aut illius partes accepisse, sed contractas tantum esse, & coniunctas, quia frigus congregat omnia. Sed dices non posse congregari aut segregari partes nisi interiecto vacuo aut admissa penetratione. Certè non possent nisi interiecto vacuo aut poris, sed si poros oportet poni sine vacuo, cōstat eos esse plenos nō quidem eadem substantia, quia ea substantia faceret vnum cum tota, & tolleret porum, ergo alia substātia: eam autem oportet esse tenuiorem. Nam cùm duæ substantiæ admiscentur, velut aqua & aër (quia crassior magis apparet) dicimus tenuiorē cōtineri in crassiori, velut aërem in aqua, potius quam aquam in aëre. Ergo cùm res aliqua rarescit non mutato substantiæ modo, repletur substantia alia tenuiori, velut terra aqua, aqua aëre aut flatu, aër igne. Hinc fit vt aër rarescens incalescat, nimirum concipit ignem, & vt aqua rarescens fiat spusoma (id in feruētibus olis apparet) nimirum concipit flatum. Densatio igitur quæ sine substantiæ modo fit, contraria ratione fiet, expressione scilicet substantiæ tenuioris, velut plena spongia expressione substantiæ, in seipsam subsidet. Ita igitur aër expressione ignis densior fiet. Quo fit, vt cùm densatur facile aqua fiat, expresso scilicet igne q impediebat. Oportet enim intelligere, nihil in hac rerum vniuersitate (præter cœlum) esse omninò purum, ac seorsum per se, sed ita natura comparatū esse, vt tenuia permeent per crassa, velut aqua

Antiquorum sententia.

Aristotelis sententia.

De densatione propria sententia.

aqua per terram, aër per aquã & terram, ignis per alia omnia. Vnde fit vt terra sit omnium rarissima & crassissima, quia omnia per illã permeant: ignis tenuissimus & densissimus, quia nihil permeat per illum. Esse autem rarum & densum in angustia aut amplitudine pororum, tenuitatem verò & crassitiem in modo partium quæ penetrare per alias possunt aut non possunt, iusta communem hominum cõceptionem dicimus. Nam omnes homines tanto rem quãcunque vocant tenuiorem, quanto ea magis potest percolari, & tanto dicunt rariorẽ, quanto plures & maiores in ea poros vident, & tanto densiorem, quanto pautiores & minores. Vnicũ videtur argumentum superesse non debile, quo videtur effici, vt sit præter partium separationem & cõgregationem densitas & raritas. Nam aliter fieret necessariò, vt quantum vnius substãtiæ crassioris ex tenuiori vno loco fieret, tantum alibi substãtiæ æque tenuis, ex æque crassiori gigneretur: velut si tantum aquæ ex tanto aëre fit hîc, oporteret fieri alibi tantumdem aëris ex tanta aqua, aut aëris tãtam portionem fieri ignem, vt occupet tàto plus loci, quã aër, quanto aqua denuo genita occupat minus: alioqui, genita aqua ex aëre, necesse erit relinqui vacuũ, & genito aere ex aqua, fieri penetrationem corporum. Nam si totum spacium quod intra cœlum est, capit tãtum talis corporis, & pars aliqua tenuis illius corporis mutetur in crassam, quin tantundem crassæ mutetur in tenuem, capietur minori: atque si pars crassa mutetur in tenuem, quin tantumdem tenuis mutetur in crassam, indigebit maiori loco. Quare ne sit penetratio corporum aut vacuum, oportebit vt semper fiat mutatio æqualis, tenuis in crassum, & crassi in tenue, mirum verò si qua ego hũc aërem inflammo, alibi gignatur tantũdem aëris exigne, aut aquæ ex aëre, quod alioquinõ gigneretur. Certè hoc quanquàm multis videbitur durum, ego concederem, ita enim omnia sunt comparata in hac rerum vniuersitate, vt æquales sint quorumcũq; generationes & corruptiones, & secundũ tempora, & secundum varia loca: atque hoc, & ob varietatem motuum & corporum cœlestium, & ob has causas infernas, quæ fugas quasdam & agressiones naturales habent. Ex quibus nascitur in tam mira contrarietate æqnalitas. Quo pacto eã æqualitatem faciant cœlestes motus alibi intelliges. Quod verò de causis infernis dixi, iam explico. Cũ portio aliqua aeris abit in aquam, cõtrahitur in minorem locum, proximus ergo aer rarescet vt repleat, rarescens autem igne replebitur, quare inflammabitur, & iusta proportionem aëris crassescentis alius extenuabitur inflammatus. Ita cùm aër inflammatur, frigidi vapores fugiunt ad proximum aerem, qui recipiens frigidam substantiam, ad proportionem inflammati aeris crassescit, abiens in aquam, aut vaporem, qui substantia media est inter aquam & aerem. Qua enim alia causa per mediam æstatem ardentissimis diebus solemus pluuiã expectare? Sed de vacuo dicta sunt satis multa.

Argumẽtum.

Respondetur.

De tempore. 28

TEmpus esse numerum motus secundum prius & posterius Arist. affirmat, videntur autem esse contra hanc finitionem multę non debiles obiectiones. In primis tempus videtur omninò non esse, quare neque numerum neque quidquam aliud, nam quod fit nõ est, tempus autem semper fit. Deinde, quia si nullus esset intellectus, nullum esset tempus, intellectio autem non potest facere, vt quod nõ erat sit: ergo tẽpus nihil est. Prætereà, id cuius nulla pars est omninò, nõ est, temporis autem tantum est nunc, quod non esse partem temporis Aristo. mõstrat, quia si esset pars temporis esset tempus, ergo tempus omninò non est. Deinde, numerus omnis est quantitas deiuncta, tẽpus non est quãtitas deiuncta, sed continuata. Ergo tempus non est numerus. Quare non est numerus motus. Deinde tẽpus numeratur motu, potius quã motus tẽpore. Ergo motus est numerus temporis, non tẽpus motus. Nã intuemur horologia, vt videntes quod lineas pręterierit Gnomõ, intelligamus quot horæ elapsę sint, hoc aũt est motu numerare tẽpus: nã quãtus motus fuerit ex spatio cognoscitur, aut ex forma quę motu cõparata est: quantũ aũt tẽpus, non aliter q̃ ex motu cognosci pôt. Præterea, sublato omni motu esset æterna duratio & æternum tempus, tamen nõ esset numerus motus. Esse autem illam æternitatem

Tẽpus nõ esse argumenta.

Non esse numerũ.

ratem tempus cōstare videtur, quia est in ea prius & posterius, quæ quidē sunt passiones propriæ motus. Nemo enim neget Deum fuisse antequam quidquam crearet, nam ita habetur in sacris eloquis, antequam quidquam faceret à principio cū eo eram cuncta componens, & ludens coram eo omni tempore. Illud autem eram, & illud ante, & illud omni tempore, erat in æternitate. Ergo citra motum est tempus. Quare tempus aliud est quā numerus motus. Profectò res est dictu, quin & cogitatu difficillima quid sit tempus, quo factum est, vt qui de eo disputarunt, in multas & longè dissidentes sententias diuisi sint. Nullus est qui separet omninò tempus à motu, omnes enim putant illud aut motum ipsum esse, aut aliquid illius. Vnde Plato fuisse (inquit) & fore deinceps, ad generationem tempore procedētem referre debemus, motus enim quidam duo illa sunt. Quidam tempus à motu non separant, sed dicunt tempus esse motum ipsum. Quidam, quia nemotum quidem separant à corpore quod mouetur, dicunt tempus etiam esse nihil aliud quam corpora quæ mouentur. Atq; horum rursum, quidam dicūt tempus esse motum quemcunque, quidam motum solius cœli, quidam dicunt tempus esse corpora omnia quę mouētur, quidam solum corpus cœli. Hęc sententiæ fuerunt antiquiorum Aristotele, quas nominales vocati (quorum mentionem sępe iam feci) suscitarunt, affirmantes tempus, & motum, & corpus mobile reuera eandem rem esse, differre aūt solum hęc nomina modo significandi. Itaque hi non refugiunt cōcedere has assertiones, tēpus est motus, aut quicūq;, aut cœli, & tēpus est corpus mobile, aut quodcūq;, aut primum (nam de his varia illi etiam pronunciant). Quidam alii vocati reales vt hæc effugiant, statuunt tempus non esse motum, sed mensuram motus, diuersam ab eo, numerò, vt rem à re. Vtrisq; autem horum repugnat Arist. si quis rectè consideret. Nam sententiam asserentium tempus esse motum aut totius, aut spherę cœlestis, aut esse ipsam cœlestem spheram refutauit cap. 10. lib. 4. de physica doctrina his argumentis. Motus omnis est celer aut tardus, tempori autem non potest accidere celeritas aut tarditas, ergo tempus nullus motus est, neque totius, neq; cœlestis sphere. Prætereà corpus quodcunq; est in aliquo loco certò, & nullum corpus est vbique idem, tēpus autem est vbique idē: ergo tempus nullum corpus est. Quare tēpus neque est motus neque corpus quod mouetur. Aliorum autem, qui tempus numero diuersum à motu faciunt, sententiæ repugnat Arist. cap. 11. indicans tempus nō esse separabile à motu, sed esse ipsum motum quà numerum habet. Itaque esse numero rem eandem, differre autem ratione. Aristotelis verba hæc sunt. Est verò prius & posterius illorum in motu, quod vbi est, motus est, esse autem ipsum aliud & non motus. Et in banc ipsam sententiā paulò post, non igitur (inquit) motus est tempus, sed qua numerum habet motus. Itaque de sentētia Aristotelis neque idem omninò est tempus cum motu, differens solùm opera intellectus (nam vt antea non semel diximus, hæc nulla prosus differētia est) aut modo loquendi aut significandi, neque differunt vt rex numero diuersæ, (essent enim separabiles, tamen nō potest intelligi tempus sine motu, neq; motus sine tēpore, quia vtrunque ponitur in definitione alterius) sed differūt ratione solum. Est autem differētia rationis ea, quam differētiam formalem rectè vocasset Scotus, nisi aliam differentiæ rationem hac minorem, quam vocat differentiā rationis addidisset. Nā apud Aristotelem, & re ipsa differre ratione, & forma, & definitione, idē est. Ita autē differunt quęcunque non sunt numero diuersa, & separabilia, habent autem diuersas finitiones. Est itaq; tēpus motus ipse, non quà motus sed vt aliquid aliud habens, illud autem est vt numerabilis, aut mensurabilis secundum prius aut posterius. Potest autem motus mensurari secundum magnitudinem vel partes spatii, aut formę quæ motu comparatur, aut secundum magnitudinem durationis, velut si quid per hanc lineam A B C D. motum est ab. a. ad. c. & aliud a. b. in. d. certè tantus fuerit motus vnius, quantus alterius, & prius mota fuerint illa corpora a. b. a. in. b. & a. b. in. c. quam a. B. in. c. & a. c. in. D. sed hæc quidem mensura est secundum partes spatii, atque si quidpiam fiat calidum à primo gradu ad tertium, & aliud à secundò ad quartum æqualis fuerit vtriusque motus, secundum formam scilicet motu compara

Enarratio.

paratã. Tamen hi motus hac ratione ęquales, poßint alia ratione inæquales eſſe, vt ſi alterum feratur vna hora ab. a. ad.c. & aliud duabus horis a.b.in.d. illi duo mot⁹ erunt longitudine ſpacii æquales, & ponantur etiam æquales magnitudine ipſorum corporum, tamen erunt alia ratione inæquales, & alter altero duplo maior. Habere ergo poteſt motus præter ſpacii & formæ & corporis magnitudinem aliã rationem menſuræ, ea eſt ſecundum prius, & poſterius duratione: atque numerus motus ſecundum hanc rationem, tempus eſt Tempus quidem quantitas coniuncta eſt, ſed quia menſura motus fit ſecundum quãdam proportionem, velut dicimus hic motus duplo longior fuit illo, ille triplo hoc proportio autem dicitur ſecundum numerum quendam partium, ea ratione numerus eſt. Atqui illa motus duratio quam tẽpus dicimus, non eſt res permanentiam habens vt ligna, & lapides. Sed fluens ſemper, & in ipſo fluxu habens eſſentiam, velut ipſe motus & certamen. Quę verò huiuſmodi ſunt, nullum aliud habent eſſe, quàm ipſum fieri, atque ſimul fiunt, & intereunt, & ſunt. Neque ſolum totum aliquod tempus eſt huiuſmodi, ſed quæcũq; temporis pars. Quare nunc quod eſt pręſens non eſt pars temporis, (non enim poteſt diuiſibile conſtare ex indiuiſibilibus) ſed eſt principium temporis, vt pũctus eſt priucipium linee, & linea ſuperficiei, & ſuperficies corporis. Quia vt ductu puncti fit linea ita ductu nunc fit tempus, ſi ergo tẽpus eſt numerus motus, nunc ipſum erit vt vnitas, non autem multa puncta præſentia, præterita & futura ſunt vt multę diuerſæ vnitates, ſed vt vna eademque pluries accepta: Nam vt linea non poteſt fieri multis punctis poſitis ordine, ſed eodem ductu, ita tempus fit eodem nunc pręter labente fluente quæ ſemper. Itaque tempus & motus & certamen & oratio quæ habetur ad contionẽ, ſunt ſuo modo, non quidem permanentes (ita enim nullæ eorum partes ſunt,) ſed quia fiunnt, velut Henarus quidem eſt Compluti, & ſi nunquam conſiſtit. Hæc quæ acutißimè excogitauit Ariſt. adeò ſunt difficilia, vt diuo Augu- *Sentẽtia diui Augustini.* ſtino vndecimo libro confeſsionum etiam, falſa viſa ſint, quia inquit, in motu nihil eſt quod menſurari poſsit, præteritum enim aut futurũ non eſt, præſens verò nullam habet extenſionem, quod autem non eſt aut extenſione omni caret, menſurari non poteſt, nam vt metiamur aliquid oportet vt applicemus menſuram rei quæ menſuratur, & vt maiori applicetur minor magnitudo. Sed cùm nullæ partes motus aut temporis ſimul eſſe poſsint, nullæ poſſunt applicari, & cùm nulla ſit in eis extenſio permanens, per quam prætereuntes partes velut extendantur, vt aquæ Henari pet campum Complutenſem, nullatenus metiri poſsimus tẽpora. Cùm ergo nos metiri tẽpora ſentiamus (inquit Auguſtinus) & id neque motu, neque aliquo quod in motu ſit (omnia enim quæ in motu ſunt fluunt vt ipſe motus) fieri poſsit, conſtat oportere, vt ſit aliqua extenſio permanens, qua metiamur partes motus. Ponit ergo hoc argumẽto tempus neque eſſe motum neque in ipſo motu, ſed in noſtro animo, eſſeque tempus, memoriam præteriti, expectationem futuri, & attentionem præſentis. Hęc eſt ſententia Auguſtini, iuſta quam conſtat quàm verum ſit, ſi non eſſet intellectus non fore tempus, quia ſcilicet ipſum tempus non in motu, ſed in animo eſt. Verum meo iuditio falſum eſt vtrunque. *Refutatio.* Et tempus eſſe in animo & ſine animo non eſſe tempus. Nam etſi tollatur omnis animus, poteſt manere motus, motus autem omnis habet celeritatem aut tarditatem, celeritas autem, & tarditas ne intellgi quidem poteſt ſine tempore: ergo tempus eſt aliquid in motu præter omnem animum. Sed quid differat ſententia Auguſtini à ſententia Ariſtotelis iam explico, & qua ratione illius argumentum diluatur: docet Ariſtoteles. 12. capit. duplicem eſſe numerum, eſſe enim numerum qui numeratur, & numerum quo numeratio fit: velut eſt numerus hominum qui numeratur, & numerus calculorum quo numeramus. Tempus ergo dicit eſſe numerum, non quo numeramus, ſed qui numeratur, nam non numeramus motum tempore, ſed numeramus tempora in motu. Eſt enim, vt dictum eſt, tempus ipſe motus quà numerabilis eſt ſecũdum prius & poſterius, atq; ita rectè in argumẽtis accipiebamus, numerari tẽpora motu, ſed nõ proinde tempus nõ eſt numerus, eſt enim numerus qui numeratur in motu, hoc eſt ipſa motus duratio numerabilis. Sed quãquam Ariſt. affirma

mat temp⁹ esse numerum qui numeratur, non explicat qui sit numerus, quo tempo ris numeratio fit, oportuit autem explicari. Quia constat omnem numerum qui, ha bere numerum quo numeratur, hic mihi videtur esse, quem Augustinus inuenit, nã tempore & durationes motuum conferũtur, & numerantur, velut extensa & coniuncta in memoria, & attentione, & expectatione. Nam non possum ego affirmare duplum tempus esse contionatum hunc hodie ac heri, nisi durationem vtriusque contionis in memoria simul retineam, & minorem velut applicem maiori. Neque possum dicere heri contionatus sum duas horas, hodie contionabor vnam, nisi hesternam moram intuear in memoria, & hodiernam in expectatione, itaque Arist. explicuit, numerum qui numeratur in motu, Augustinus numerum quo vterq; acutissimè. Cæterum probabilius videtur loquutus Aristoteles, vocans tempus, numerum qui numeratur, quàm Augustinus dicens numerum illum quo, tempus esse. Nam ille met dicit nos numerare temporasillabarum, tempus ergo est quod numeratur, non quo numeratio fit. Aliòqui si memoria & expectatio numerantur, aliũ oportet esse horum numerum quo, atque illius alium & sine fine. Præterea tempus in ipso motu esse est communis animi consensio, & Plato ita scripsit, Tempus simul cùm cœlo factnm est (ob motum scilicet) vt vnà orta simul etiam intereant, si quis illis interitus superest, atque finiens tempus dicit, Fecit æternitatis in vnitate manentis æternam quandam in numero fluẽtem imaginem, quam nos tempus vocamus. Hoc nihil est aliud quàm motum fluentem in numero (hoc est secundum pri⁹ & posterius numerabilem) esse tempus.

Itaque tempus nõ est in animo, sed in motu: atque adeo, etsi nullus animus esset, neque omninò esse posset, si esset motus, esset tempus: etsi contrarium affirmat Aristotel. non quod tempus in animo ponat, sed quia tempus est numerus, nisi sit autem qui numeret, non videtur posse esse numerum. Mirum verò si sublatis omnibus animis, planetæ non sint septem. Explicant quidam illam assertionem Aristoteleam, non de eo quod sit, sed de eo quod possit, atque id Aristotelicè faciunt, nã vt ille sæpe dicit, in æternis idem est esse & posse. Itaque intelligunt ac si ita diceretur, si animus nullus sit neque esse possit, nullum futurum tempus, quia si non potest esse quod numeret, nihil est numerabile: aliòqui esset numerabile, quod à nullo posset numerari. Mihi autem adhuc videtur etsi nulla mens esse possit, si cœlum esset quale nunc est, fore motus aliis aliquanto celeriores, ac proinde fore tempus, idque naturá sua per se numerabile. Quid ergo? nonne fieret vt esset numerabile, & nullo modo numerabile? fieret sane, an hoc non continet repugnantiam? continet, quid ergo euenit? quid aliud quã illud etiam vnde hoc fit repugnantiam continere? neque poni proinde posse aut intelligi? Videlicet esse motum quin sit intellectus aliquis repugnantiam continet. Atque hoc argumento euidenter agnoscimus ex his que esse videmus, ex corporib⁹ inquam & motibus, esse æternam aliquam mentem, necessario ac per se semper existẽtem, quæque ne imaginatione quidem tolli possit, hancque esse summum deum. Quare ego non dicerem si non est intellectus non est tempus, sed si non est intellectus nihil est. Si autem rursum rogas si nõ esset intellectus & esset motus, an esset tẽpus. Respondeo, neque fore neque non fore, ac si placet, fore & non fore, quia ex eo quod continet repugnantiam, sequitur quiduis. Velut si interroges, si nullus esset homo, & esset aliquod animal rationale, an esset aliquod risibile, an non. Itaque tempus ipsum per seipsum est in motu id quod est, numerus scilicet qui numeratur in motu. Sed superest illud disputare, an tempus sit motus primi cœli solùm, an quiuis motus, quia est numerus. Aristoteles capit. vltimo, libro quarto dicit, videri tempus esse motum sphæræ primæ, quia is motus vt potè celerrimus & æqualis, idoneus est vt eo alii mensurentur. Plato quoque hoc videtur innuere, quia dicit, tempus vna cùm cœlo natum esse, quasi tempus sit motus cœli. *An sit primi cœli motus tẽpus.* Quin & in initio libri Geneseos dicitur, fecisse Deum astra, vt essent in signa & tempora, & annos, hoc est vt eorum motibus metiremur tempora. Cæterũ alia ex parte videtur non magis esse tempus, in eo quàm in aliis motibus. Nam non solum metimur alios motu sphæræ, sed etiam motum sphæræ metimur aliis mo-

tibus. Nam dicimus eum motum esse aliorum mensuram, quia est æqualis celeritatis, tamen esse eum celeritatis æqualis, non aliter possumus iudicare, quàm conferentes eius motus partes cum aliis motibus. Velut quia totidem lineas percurrit Gnomon horologi hodiè quot heri, cognoscimus hodiernum & hesternum solis motus æquales esse. Nam dicere motum cœli esse æqualem, non est aliud quam dicere, solem æquales cœli partes æqualibus temporis partibus percurrere, sed æquales esse partes temporum, quæ insumũtur in partes motus, non aliter cognosci potest, quam collatione aliorum motuum, ergo cùm dicunt alios motus mensurari motu sphæræ, quia is motus est æqualis, latenter dicunt eum etiam motum mẽsurari aliis. Certè nõ esse ipsum motum cœli tempus Augustinus mõstrat loco citato, quia esset dies ipsa circuitio solis, tamen non est, si enim ea circuitio ita contraheretur, vt vnius horæ tempore totum orbem sol percurreret, non insumeretur totus dies in vnam circuitionem. Aliud est ergo dies, quàm ea circuitio, quare tempus non est ipse motus cœli, quà motus, sed neque in solo eo motu esse rationem temporis, sed in alio quocunque cõstat. Quia vt inquit idem Augustinus, etsi cœlum omninò nõ moueretur, si rota figuli moueretur esset tempus, & mẽsuraretur circuitionibus rotæ, vt nunc solis circuitionibus. Itaq; haud dubiè tẽpus in quouis motu est. Sed quia motus metimur conferentes motus cum motibus, fit vt locus cœli maximè idoneus sit, vt cum eo alii conferantur, & vt eo alios motus numeremus, velut cùm vno calculo numeramus omnes calculos. Causa autem huius quia mẽsura est semper pars aut magnitudo minima, motus autem primi mobilis est omnium motuũ minimus secundum tẽpus, quia est velocissimus, & quia est æqualis. Cùm autẽ volumus quæ diuersa & inæqualia sunt metiri, semper accipimus mensuram aliquam certã & æqualem, accedit quòd motus cœli est idẽ omnibus, quas mortales incolunt, partib⁹ maximè conspicuus. Nullus ergo ali⁹ motus potest esse cõmunis mensura tẽporum omnibus mortalibus. Peculiares autẽ mẽsuræ temporum multi alii motus sunt in horologiis, itaque tẽpus in omnibus motibus est, cœli motus vnum illud habet, quòd est veluti idem communeq; omnibus mortalibus horologium. Atque inter cætera ad eum vsum à Deo factum esse sacræ literæ testantur. Sed obiicies, Si quiuis motus, quà numerari potest, est tempus, cùm motus non sit idem in omnibus naturalibus corporibus, fiet vt neque tẽpus sit vbique idem, est tamen idem vbique tempus, non ergo quiuis motus sed quidã certus motus, atq; si quis certè motus cœli sit tempus. Huic obiectioni antea ferè disputantes de loco respondimus. Vt sæpe iam diximus tempus nõ est motus quà motus, sed quà habet prius & posterius, Atq; etsi motus sint diuersi, ea ratio prioris & posterioris est eadẽ numero in omnibus. Velut antea diximus locum non differre numero à re quæ in eo est, tamen esse posse in eodem numero loco res diuersas, atq; hoc non esse absurdum, in his rationibus siue relationibus quæ extrinsecus accedunt. Itaque in motu omni est tempus, sine motu autem nullum tẽpus est. Quare quod caret omni motu & neque per se neq; per aliam mutationem quampiam potest recipere, non est in tempore sed in æternitate, quæ est vt vnum quoddam nunc, non fluens, sed stans, velut tempus est nunc fluẽs. Constat verò in nunc stante nõ esse prius neque posterius, quia est indiuisibile & stat. Quicquid autem secundum prius & posterius dicitur, de rebus fluentibus verè dicitur, de æternis neque verè neque exactè: quanquam ob nostram imbecillitatem aliquando ita loquimur. Quin & in sacris literis quędam talia stillo hominum scripta sunt. Verum hoc Plato rectè est assequutus, qui ita scripsit, Apud Deum neque est erat, neque erit sed est. Nam instante nunc nihil præterit, nihil quæ est, quod nondũ venerit, sed quod fluit nunc (hoc est tempus) venit & præterit, ipsum autem æternum stat. Neque quidem deus aliud quicquam fecit vbi factum est cœlum, quàm ab æterno facit, neque tunc quicquam fecit, quod iam facere desierit: sed cœlum factum est, quod anteà non erat factum, & fieri desiit. Deus verò qui non mutatur, ab æterno est, & ab æterno vult hæc fieri, & esse, vt fiunt, & sunt. Sed hæc, nostra mens quæ à sensuum motu illuditur, non capit. De tempore satis dictum est. Et obiectiones sunt iam satis dillutæ.

An

29 An ad tres cathegorias sit perse motus, qualitatem, quantitatem, & vbi, & an ad eas solum.

ARist.cap.1.&.2.lib.5.de physica doctrina,ad tres cathegorias, & ad eas solũ esse motum perse, probat argmentis quæ in commẽtariis satis explicuimus. Verum non est adeò facile vt possit sine controuersia transigi. Nam in primis videtur ad multa alia genera esse motus perse. Nã cum quis sedet,aut sese erigit, perse videtur moueri ad situm esse,vt cum induitur perse videtur moueri ad habitum, nam ad indutum esse: & cùm aliqua accedunt,videntur perse fieri propinqua, & cùm recedunt remota,propinquum autem aut remotum, non est quale, neque quantum, neque vbi,sed ad aliquid. Videtur ergo ad plures quàm tres,ac fere ad omnes cathegorias esse motus. Alia ex parte videtur nõ esse motus perse ad tres illas. Nam ad sanitatem & morbum non est motus perse, neque omninò ad habitus aut dispositiones,neque ad naturales potentias, neque ad figuram,ea autem sunt species qualitatis, nõ ergo est motus ad qualitates. Deinde ad magnitudinem eadẽ ratione non est motus perse,quà ad sanitatem, quia scilicet magnitudo non tam fit perse, quã succedit aliis quæ fiunt,dilatationi scilicet partium,& distributioni,ac commutationi alimẽti.Præthereà locus est magnitudo quędam, & quantitas vt in cathegoriis docet Aristot. Ergo motus ad locum ad quantitatem est. Quare ad duo tantum erit motus,ad qualitatem,& quantitatem. Præterea latio est sursum & deorsum, sed supra & infra sunt ad aliquid,quia potest aliquid non mutatum,sed quia aliud mutetur, cũ esset supra fieri infra & contra, ergo ad cathegoriam etiam ad aliquid est motus, & ad vbi non est. Vt hæc controuersia decidatur,in primis sciri oportet, esse motum ad aliquam rem perse dici posse, aut quia id quod mouetur illi⁹ gratia præcipuè mouetur,est quæ is propositus finis causæ mouenti:aut quia ea res per se, & non per aliam cui succedat, comparatur eo motu. *Enarratio.* Cùm autem sint hæ duæ rationes, quibus videtur posse dici motus perse ad rem aliquam,constat Aristotelem in hac disputatione de motu perse secũdo modo loqui. Nam primo modo vix quicquam magis perse comparatur motu quàm sanitas, quia & medico & naturæ memborũ,quæ sese attemperant & cum morbo pugnant, proposita est vt præcipuus finis, tamẽ negat Aristot. esse ad sanitatem motum per se,quia non est in quod primò finitur motus,sed succedit: velut siquis febricitat, & refrigeratione curatur, refrigeratio est per se, ac primò motus in frigus, extinctioni caloris succedit sanitas. Eadem ratio est aliorum omnium, quæ in argumentis accipiebantur. Nam cùm quis sedens se erigit, perse primo mutat locum, aut secundum se totum,aut secundum partes, loci mutationi succedit mutatio positus. Ita applicatio vestis primo ac perse est latio hominis & vestis, aut alterius eorum, succedit huic lationi indutum esse accessus autem & recessus apertè sunt lationes, succedũt talibus locorum mutationibus appellationes propinqui & remoti,quæ dicuntur ad aliquid. Et sane nihil quod ad aliquid dicatur posse motu comparari perse primo, Arist.docet,estque id apertissimum, quia omne quod ad aliquid dicitur cõparatur sine motu, vt si tu sis doctus, & alius fiat doctus, nascetur quidem similitudo sine motu:aut succedit formæ alteri motu cõparatę,velut si tu accedes illi, fias illi propinquus; propinquitas nascitur ex mutatione loci. Quod vt fiat aperti⁹, scire oportet,cùm Arist.dicit ad tres tantum cathegorias esse motũ perse,nomen motus non accipi generatim pro omni mutatione,sed pro motu propriè dicto, qui scilicet fit inter proprie contraria, & est ex subiecto in subiectum. Nam aliter malè negaret Ari. ad substãtiam esse motum perse. Nam generatio profectò mutatio est,quæ perse ac primo finitur in substantiam. Cum ergo dicit ad tres tantum cathegorias esse motum perse,motum physicũ intelligit. Quare frustra huc in gerunt theologi disputationem de vnitione verbi & humanæ naturæ,& frustra hìc se macerant disputantes an ad relationes,quas illi vocãt,extrinsecus aduenietes sit motũ s perse. Nã mutationes aliquę an sint perse ad aliquas tales relationes,possit fortasse aliqs nõ immeritò dubitare: nõ esse autẽ ad eas perse motũ physicũ,facile quiuis intelliget ex dictis. Quare vt superuacanea dimittantur,

prætereo ad reliqua. Non ita dicimus ad tres dictas cathegorias esse motum perse, vt ad omnes in iis cathegoriis species sit. Nam in cathegoria qualis ad solas pasibiles qualitates est motus, locum non concesserim ego esse magnitudinem, sed vt quæstione. 23, indicaui magnitudinẽ habere, eum verò pertinere ad cathegoriã vbi. Atque supra & infra, cùm significant certas mundi partes, vt proximã cœlo & mũdi mediam, esse differentias vbi, cùm autẽ dicũtur ad aliquid & ordinem solum rerum proximè positarum significant; pertinere ad positum. Ergo ad supra & infra vt sunt differentiæ vbi est motus perse & primo, vt autem sunt differentiæ positus, non est motus perse primo: tamẽ est ad ea motus perse aliomodo, quia scilicet eorũ gratia motus naturales aguntur. Nã monstratum antea est nobis, res naturales, etsi ad loca quædam mutentur primò cum feruntur, non tamen moueri propter loca hæc aut illa, sed propter ordinem qui succedit. Non esse autem ad supra & infra vt dicunt ordinem, perse & primò motum, constat eodem argumento, quo Aristo. probat, ad nihil eorum quæ dicuntur ad aliquid, esse. Nimirum possunt hęc mutari non mutata re, sed quod aliud quippiam mutetur. Velut si ego à diuæ Mariæ ad verę crucis sacellum ascendam, vetus Alcala, quę suprà me prius fuerit, loco non mutato infra fiat. Itaque infra & supra vt sunt ad aliquid non comparantur motu perse & primo, vt ad ea est motus, nõ sunt ad aliquid sed differentiæ loci itaque, per hęc omnia argumenta, & alia innumera, quæ his prorsus similia clasici congerunt, stat Arist. sententia. Tamen illud quod de accretione dicebamus, omninò non potest dillui. Quare vt in commentariis dixi, &. 2. lib. cõtrouersiarum med. scripseram, verisimam esse censeo antiquam Platonis sententiam, duas tãtum motus species ponentis, in Euthisipho, & theeteto, lationem & alterationem. Quam sententiam sequutus est Gal. primo Methodi cap. 6. quorum verba nunc taceo, quia commentariis inserui, & hîc locus argumentorum magis est quàm verborum. Quantitas maior succedit aliis motionibus, quin ponatur proprius ad eam motus, ergo non comparatur perse primo, sed per eas formas quæ cõparantur motibus, quibus magnitudo succedit. Hoc ita habere ita constat: pone fieri carnium dillatationem, & cibi distributionem, & affixionem, & cõmutationem, & iis actis Deũ omnes alios motus prohibere, profectò res erit facta maior, tamen sine accretione quæ sit motus perse. Nã dillatatio carnium, & deductio alimẽti, sunt lationes, affixio est alteratio, cõmutatio in carnes, est generatio. Nullus ergo motus superest qui perse sit accretio, sed quantũ, succedit. Velut, domus proinde non fit pese, quia facere domum nõ est aliud, quàm ligna lapides & tegulas ita ponere, forma autem domus succedit. Duo video responsa circumferri, nunc dicunt ad magnitudinem esse motum perse, quia auctio non propter speciem sed propter magnitudinem perse fit: nunc dicunt substantiæ mutationem, cùm res propriè augetur, nõ esse generationem perse sed accretionem, quia non videtur esse ad formã sed ad magnitudinem. Non enim dicitur fieri homo, sed fieri maior. Miror q̃ hæc alicui viro docto faciat satis (sed sectæ alicui addictum esse multũ prohibet quæ vera sunt cernere) nam quomodò magnitudinis gratia fiat ea mutatio, satis sit quò sit mot⁹ ad magnitudinẽ perse primo modo, duorũ quos retulimuss, hoc est perse sed non primo, nõ tamen est satis vt sit per se & primo. Nam & sanitatis gratia, vt dicebamus, sanescit homo, tamẽ non est ad sanitatem motus perse primo. Vt nõ dicatur fieri homo, & si ea generatio sit perse primo, causa est quòd ea nõ est generatio totius, sed partium. Proinde nõ finitur in formam & appellationem totius, sed partium, succeditque appellatio maioris rei genitæ secundum partes, nam si cui seniam, & qui cessauerit ab incremento, vlcus cauum repletur carne, certè per carnis illius generationem non dicetur fieri homo, neque dicetur homo fieri maior, sed dicetur homo fieri sanus, non tamen proinde dices ad sanitatẽ esse motum perse. Non dices sane, quia Aristot. negauit, dices tamen esse ad magnitudinem, quanquam eadem ratio est, quia Arist. dixit, sed cur negauit Aristotel. ad substantiam non esse motum perse? An non quia substantię nihil est contrarium, sed magnitudini non esse cõtrarium idẽ dixit. Dicis magnũ & paruum esse contraria in magnitudine. Certè magnũ & paruũ ad aliqd esse Arist. dixit

dixit, & idem dixit ad ea quæ ſunt ad aliquid, non eſſe motũ per ſe. Sed quo pacto poteſt eſſe motus proprius ac per ſe, qui non eſt continuatus? Non eſſe autẽ accretionem motum continuatum idem Ariſt. dixit lib. 8. capit. 3. Præterea motus accipit ſpeciem à forma, omnis ergo motus, qui propriè motus ſit, debet eſſe ad formam aliquam, quæ affirmatione dicatur, non autam eſſe poſsit ad priuationem, decretio autem ad nullam formam eſt, ſed eſt magnitudinis detractio, ergo non eſt motus propriè. Quod ſi decretio nõ eſt certè neq; acretio. Nã non poſsit motui propriè nũcupato cõtraria eſſe mutatio, quæ propriè motus non ſit. Nam ad contraria propriè debent eſſe contrarij motus, non ad contraria per negationẽ. Præterea Ariſt. cap. 3. lib. 8. de phyſ. doct. probat ad habitus non eſſe alterationem, quia habitus quidã ſunt perfectiones, quidam imperfectiones, tamen ille met cap. 2. lib. 5. dicit, eam, quæ fit in magnitudinem, perfectam eſſe accretionem quæ ex hac, decretionem. Ergo hac quoque ratione ad magnitudinem nõ eſt motus per ſe. Quare haud dubiè eſt motus per ſe & primo ad duas tantum cathegorias, qualitatem & vbi.

30 An mutationis poſsit eſſe mutatio.

VT Ariſt. inquit cap. 2. li. 5. duobus modis dici poteſt mutationis eſſe mutatio, vel ꝙ mutatio mutetur, vt mutatur homo, vel ꝙ ad mutationem mutetur aliquid vt mutatur ad qualitatem, aut locum. Vtroq; autẽ modo videtur mutationis eſſe mutatio. Primò modo quia mutatio vna & eadẽ fieri poteſt de tarda velox & contra, quare poteſt mutari ad velocitatem & tarditatem. Præterea ſi lapis aliquis moueatur de polo ad polum per mũdi diametrum, vnica & eadem erit motio, quia eiuſdem in idem & eodem tempore, ea tamen, cùm pręteribitur cẽtrum terrę, fiet de naturali violenta, mutabitur ergo ſecundum eam formam qua naturalis aut violenta dicitur. Sed & ſecundo modo videtur eſſe mutationis mutatio, nã quod antea non caleſcebat, & nunc caleſcit, factum eſt de non caleſcente caleſcens, ſi ergo quia de non calido factum eſt calidum dicitur mutatum ad calorem, dicetur etiam mutatum ad calefactionem, quia de non caleſcente factum eſt caleſcens. Nihilominus Ariſtot. loco citato monſtrat euidenter, neutro modo eſſe mutationis mutationem. Primò modo quia mutatio nõ eſt ſubiectum mutationis, quia neque ſecundum quale, neque ſecundum quantum, neque ſecundum locum moueri poteſt. (Horum enim omnium ſubiectum eſt corpus naturale. Niſi vis dicere mutationem caleſcere aut refrigerari aut ferri, conſtat verò hæc non poſſe accidere mutationi, ſed rei cuius eſt mutatio) ſecundò modo, quia mutationis alicuius eſſet mutatio, & mutationis illius eſſet mutatio alia, & illius alia, & ita eſſent antequamcunque mutationem alię infinitæ. Velut, eſſet generationis ignis generatio, & illius generationis generatio alia, & ita eſſent infinitæ generationes priores generatione ignis. Si autem eſſent infinitæ, nulla eſſet in eis prima, quod ſi non eſſet prima, neque poſteriores. Nulla ergo generatio eſſet poſſet. Quare nihil omninò fieret. Nullatenus ergo eſſe poteſt mutatio mutationis. Quod ſi motus aliquis fieri de tardo celer dicitur, re vera non fit motus de tardo celer, nam nullus motus qui prius fuerit tardus, poſteà fit celer, ſed corpus quod antea mutabatur lentè, nunc mutatur celeriter, quod ſi totus ille motus vnus eſt, quia continuatus ſecundum tempus, tamen cum non ſecundum eandem partem habuerit tarditatem, & habeat celeritatem, non mutatur ipſe. Velut non diceremus mutari hominẽ, quod habuerit candorem ſecundum faciem, & nigreſcat ſecundum pedes, ſed quòd ſecundum eandem partem candorem amiſerit. Et nigritiem comparauerit. Atqui hac ratione conſtat mutationem nullius mutationis ſubiectum eſſe poſſe, quia nõ poteſt eſſe eadem eius pars ſub formis contrariis, cùm ſemper fluat. Accedit quod neque aliquod aliud accidens, cùm intenſionem recipit mutatur, ſed res cui ineſt. Nam ſi calor exiguus fit magnus, non mouetur calor, ſed corpus à minori calore ad maiorem. Illud enim mouetur ad maiorem calorem, cui calor maior ineſt. Non ineſt autem maior calor minori, ſed corpori. Alioqui & locus mouetur ad locum, cum aliquid fertur de loco.

ſuperno ad ſuperiorem. Eadem dilutio eſt cùm videtur motio mutari de naturali in violentam: Non enim mutatur, ſed eſt eadem motio partim violenta partim naturalis. Qui nō caleſcebat, & nunc caleſcit, factus eſt caleſcens, tamen fieri caleſcentem & caleſcere idem eſt. Nam ipſum fieri caleſcentem, nihil eſt aliud quàm caleſcere. Sed pro leui hac quæſtiuncula hæc ſunt ſatis.

31 Qui motus ſint idem, & qui diuerſi.

ARiſto. non obſcurè docet capi. 4. li. 5. de phyſica doctrina quot modis poſſit motus eſſe idē aut diuerſus, & quę ſit ratio vnitatis in ſingulis. Tamen barbari tam lōgè abeſt vt quæ ille perſpicuè docet aſſequantur, vt iam nō conſtet quidq̄ inter illos, ſed quos hìc dicit eoſdem ſpecie eſſe motus, alius dicat eſſe contrarios. Et quantum intelligo difficilem quæſtionem ipſi ſibi ſuó labore faciunt, quia congerunt plura quàm opus ſit, multa enim inſerunt ad rem faciētia nihil. Ego proinde quoad fieri poterit breuiter perſtringā. Motus poteſt eſſe vnus, aut ſecus, multis modis. imprimis dicitur vnus, quia nō multi, deinde dicitur vnus qui perfectus, quaſi nō imperfectus: dicitur etiam vnus, qui non multiformis, & varius, ſed ſui ſecūdum partes ſimilis, & æqualis. Rurſum primo modo vnus & idem dici poteſt, genere, ſpecie, & numero. Atque euenit in motu vt in aliis omnibus rebus, vt tanto ſit maior vnitas, quanto ratio vnitatis eſt minus vniuerſalis. Quare maximè vnus eſt, qui numero eſt vnus, minimè qui genere: atqui motus qui ſunt idem genere, nō æque idē ſunt: non enim ipſa genera ſunt æque vniuerſalia, ſed quædam quibuſdam ſunt priora. Cùm ſint in omni motu ſemper, quod mouetur, & à quo, & ad quod, & quando & præter hæc in latione ſit, in quo, dubium eſt ex quo horum aut ex quibus capiatur ratio vnitatis. Sed altercantur hìc barbari antequàm ad deciſionem accedant, cur non commemorauit Ariſt. hìc alia quæ motum etiam neceſſariò comitantur, velut (dicunt) regularitas vel irregularitas, difformitas vel vniformitas. Hác interrogationem magni faciunt, atq; hæſitant adeò, vt deſtituti omni probabili reſponſione dicant non placuiſſe Ariſt. ea referre. Certè non placuit quia non oportuit, nam quæ illi vocant vniformitatem, aut difformitatem, regularitatē aut irregularitatem, faciunt ad tertium modum vnitatis, non ad primum de quo nūc diſputatur. Certè accidit motui non tantum quando, ſed etiam vbi, nam non minus agitur motus omnis alicubi quàm aliquo, tamen Ariſtot. non retulit locū, quia nō facit ad vnitatem aut diuerſitatem vllam. Nam ſi alia omnia eadem ſint, idem motus erit ſiue agatur hìc ſiue romę. Accidit etiā motui non tātum eſſe quod moueatur, ſed etiā eſſe quod moueat, ſed neq; hoc Ariſtot. retulit, quia non facit ad differentiam motus. Nam ſi Petrus in caleſcat nunc, idem numero erit motus, ſiue ab igne ſiue à ſole ſiue à vino calefiat. Quod ergo, eſt quod mouetur: à quo, vt ab albo aut a ſuperno loco: ad quod, vt in nigrum, aut in locum imum: quando, vt hodie, aut heri: in quo, vt per lineam hāc rectam, aut hanc curuam. Hoc autem vltimum ſoli lationi accidit: Omnes regulæ vnitatis (quæ apud alios ſunt innumeræ,) ad hanc vnicam rediguntur, vt motus aliqui genere aut ſpecie ſint idem, oportet id ad quod eſſe genere, aut ſpecie idem, vt autem ſit numero idem, omnia illa oportet eſſe velut omnes lationes ſunt eiuſdem generis primi indifferentiis motus. Nam cū nomen motus genus ſit in cathegoria paſsionis, nulli motus indifferentis rerum differunt genere primo, ſed cum ea ad quę ſunt, ſunt eiuſdem generis rerum motus ipſi ſunt eiuſdem generis motus, diuerſi autem cum, ea ad quę ſunt, velut lationes ſunt eiuſdem generis motus, quia omnes ſunt ad locum, & omnes alterationes, qa omnes ad qualitatem. Differunt autem alteratio & latio genere primo motus, quia ea ad quæ ſunt differunt primis generib⁹ rerum, ſunt enim diuerſarum cathegoriarum. Et omnes dealbationes ſunt eiuſdē ſpeciei, quia omnes ſunt ad eandem ſpeciem formam, puta ad candorem. Idem autem numero non eſt motus niſi totus ſit ad eandem formam & ex eodem & eiuſdem, & eodem tempore, & per idem. Nihil autem horum fruſtra dicitur: nam poteſt eſſe eiuſdem in idem non ex eodem, vt ſi. A. corpus moueatur per hanc lineam

b——c——d.ex.b.in.c.& ex d.in. c. & poteſt eſſe ex eodem in idem & eodem tempore,& non eiuſdem,vt ſi. A.corpus feratur ex.b.ad.c.& item.e.corpus feratur ex B. ad. c. Non poteſt quidem eſſe eiuſdem & eodem tempore, qui non ſit per idem ſpatium,& ab eodem in idem, quia nõ poteſt idem eſſe ſimul in duobus locis, quarè neque moueri,tamen ſi poſſet (aut ponatur) certè non eſſet idem numero motus; quare quantum in ipſa ratione vnitatis agitur, rectè dicitur ad vnitatem secũdum numerum oportere vt dicta omnia eadem ſint. Huius cauſa hęc eſt vnum genus & vna ſpecies ob vnam rationẽ & formam eſt,at vnitas numeri nõ ex ſola forma, ſed etiam ac multo magis ex vnitate materiæ eſt,& omnium accidentium quę hanc circumſtant; habet verò in motu id ad quod rationem formę,& proinde præbet rationem ſpeciei & generis,id verò quod & ex æquo habet rationem materiæ, & priuationis,tempus habet rationem differentiæ ſingularis,proinde vt vnus numero ſit hęc omnia oportet eſſe vna. Porrò vnum numero tempus dicitur cùm non ſit intercisſum,hoc eſt tùm motus ipſe perpetuus eſt ſecundum tempus,& tẽporis motus nulla quiete interrumpitur. Sed dices hinc fieri vt motus ab. A.in.b.per lineam curuam A⌒b eiuſdem ſpeciei eſſet cum motu recto ab. A.in.b.quia ſunt in idem. Quanq̃ enim nõ ſint numero idem, quia & ſi ſint in idem numero. Tamen non in eodem; ſeu per idem, tamen erunt idem ſpecie, quia ſi id ad quod ſunt eſt,numero idem, multo magis ſit ſpecie ; quia non poteſt aliquid idem numero à ſe ipſo differre ſpecie, ſi ergo ſemper accipitur ſpecies motus ab eo in quod, certè illi motus ſint eiuſdem ſpeciei. Sciri oportet lationem habere quiddam proprium pręter id quod dictum eſt, nimirum quia ea ſola habet in quo fiat, ea ſola poteſt differentiam accipere ſecundum formam eius in quo, atque circuitio ſecundum hanc formam accipit differentiam à motu recto, potius quam ab eo in quod,quia circuitio potius eſt motus in aliquo & circa aliquid, quàm in aliquid.Itaque omnis differentia motus ſecũdum genus aut ſpeciem, capitur ab eo in quod,præterquàm circuitionis à motu recto,quæ capitur à forma eius in quo. Sed occurrunt hic ſtatim obiectiones non paucæ.Si motus accipit ſpeciem à termino fit motum ab.A. in. B. & motum à.C. in. b. per hanc lineam, A——b——c. eſſe eiuſdẽ ſpeciei, quia ſunt in eundem terminum, conſtat autem non eſſe, quia ſunt contrarii, ſunt enim partes motuum contrariorum ab.a.b.eſt pars motus.a.c. &. c. b. eſt pars motus.c.a.ſed.a.c.&.c.a. ſunt cõtrarii, pars autem motus qui ſit vnus & idẽ, eiuſdem ſpeciei ſit cum toto. Ergo motus non accipit ſpeciem à termino. Præterea fieret vt motus aëris à loco terræ vſque ad extremitatẽ immam ignis & motus ignis à loco terrę vſque ad extremitatem cœli nõ eſſent eiuſdẽ ſpeciei quia ſunt in loca ſpecie diuerſa : videntur autem eſſe eiuſdem ſpeciei,quia Ariſto.primo de cœlo tres tãtum ſpecies lationis retulit,circuitionem, & rectam à medio, & rectam ad medium, illæ autem ambæ ſunt rectæ à medio,quare in eadem ſpecie. His obiectionibus reſponderi ſolet ſpeciem motus non accipi à quocunque termino ſed ab vltimato(ita illi vocant) eſſe autem non vltimatum vſq; dum peruẽtum ſit quo vſque poteſt is motus produci, quare omnium lationum à medio terminum vltimatum eſſe ſupremum locum, ideſt extremitatem cœli, & omnium lationum ad mediũ, vltimatum terminum eſſe ipſum mediũ, proinde motus ab. A.in.B.& a.c.in. b. contrarios eſſe, quia etſi eorum motuum idem ſit non vltimus finis,puta.B.vltimus tamẽ nõ idem ſed contrarii,quia motus ab. A. poteſt produci vſque ad.c.& motus à.c.vſque ad. A. motus verò aëris & ignis eſſe eiuſdem ſpeciei, quia cum ſint ambo à medio amborum eſt idem poſtremus finis. Mihi quidẽ hoc non omnino placet, quia igni & aëri non eſt idem finis vltimus. Nam videtur vltimus finis cuiuſque motus eſſe, quouſque natus eſt produci,motus autem aëris non eſt natus produci vltra ſuum locum, quare videntur motui aëris & ignis diuerſi finis eſſe,etiam vltimi, atque eodẽ argumento.ſi motus ab. A. in.b.& a. c. in b.ſint(gratia exempli)aëris ab extremo cœli ad locum propriũ deſcendentis,& eiuſdem eodem à loco terræ aſcendentis, habebunt eundem finem etiam vltimum,tamen erunt contrarii, quia contrariorum partes.Hac cauſa ego non dico motus accipere ſpeciem à loco in quem feruntur vt finem vltimum (nam re vera fertur vnũ-

F 5 quod

quodque in locum proprium vt in finem vltimum) sed dico speciem lationis accipi non abeo in quod itur, sed ab eo versus qđ itur, quare omnes motus à medio sunt eiusdem speciei, non quia à medio (nam nō accipitur species ab eo à quo nisi per accidēs) sed quia omnes sunt versus mundi extremum, & omnes motus qui sunt versus medium sunt eiusdem speciei, & descensus aëris à loco ignis & ascensus à loco terræ, etsi in eundem locum sunt, sunt tamen contrarii, quia alter versus medium, alter versus extremum, & commutatio ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum, sunt contrarii motus etsi in idem, quia altero itur versus nigrū, altero versus album. Sed ita quoque supersunt non leues obiectiones. Si descensus aeris ad proprium locum, & ascensus eiusdem ad eumdem locum sunt contrarii, fit vt eisdem corpori sint naturales contrarii motus, atque si ascensus aëris & ascensus ignis sunt eiusdem speciei, fit vt idem motus sit naturalis multis corporibus simplicibus, negat autem Aristote. primò de cœlo posse eidem corpori esse multos motus simplices, aut eundem motum multis corporibus. Prætereà fit vt idē specie motus sit naturalis & præter naturam alicui quia aëri est, secundum naturam motus à loco terræ ad suū, & erit præter naturāà suo ad cœlū, tamen erunt ambo eiusdē speciei, quia versus idem, dicit autem Aristotel. primò de cœlo siquis motus alicui naturalis est, contrarium esse præter naturam, quare neque contrarii motus eidem naturales videntur esse posse, neque idem motus specie eidem violentus & naturalis. Ob has obiectiones, quidam dicunt, motū aëris à cœlo ad suum locum, & à medio ad locum eundem, eiusdem speciei esse, quia eidem sunt naturales, atque negant statim esse partes contrariorum, quia dicūt, si descendens aer traheretur vltra suum locum deorsum, non futurum eundem vnumq; motum, quia iam inde erit violentus, non putant autem posse constare eundem ex naturali & violento: moxque hi negant ascensionem aëris & ignis esse eiusdem speciei. Quod si Aristote. primò de cœlo dicit tres tantum esse lationum species circa medium & ad medium, & à medio, interpretantur dictum non de vltimis speciebus, (quia non possent esse totidem motus quot corpora cùm corpora sint quinque si motus essent tres) sed de generibus vocatis subalternis. Sed hi falluntur. Nā siue ascēsus siue descensus sint species vltimæ siue non, diuisio tamē proximi generis his speciebus per differentias contrarias debet fieri. Si ergo latio recta diuiditur in ascensum & descensum profectò ascensus descensui contrarius est, siue multæ species descensus, & multæ etiam ascensus sint, siue non. Ergo etsi ascensus aëris esset diuersus specie ab ascensu ignis, tamen ascensus & descēsus aëris non possent esse eiusdem speciei. Prętereà differentia aut vnitas subiecti corporis, nihil facit ad vnitatem aut differētiam accidentium. Nam candor in niue & lacte rebus specie tam diuersis, est eiusdem speciei, & in eodem homine color & calor differunt etiam genere. Neque vt accidens idem aut diuersum sit specie facit quicquā secundum naturam aut præter naturam esse corpori cui inest. Nam calor ferri & calor ignis eiusdem speciei est, & si huic secūdum naturam, illi præter naturam insit: atque si aër maiorem quam pro sua natura calorem concipit vt cum in ignem abit, is calor eiusdem speciei sit cum calore priori quem secundum naturam habebat. Eadē ergo ratione motus speciem vt cognoscamus, nihil refert considerare, cuius sit, an ignis an aëris, sed qualis sit ipse motus, & quo versus agatur. Sed si hæc ita habent, videndum est quid respondere possimus obiectionibus. Aliud est considerare motus ipsos per se, & quà motus sunt, aut quà sunt passiones horum aut illorum corporum, quà sunt motus habent differentias quas diximus, ab iis scilicet versus quę itur aut à forma eius in quo: quà sunt passiones quorundam corporum, habent differentias naturales & præter naturam, atque fieri potest, vt motus prima ratione contrarii, hac secunda sint eiusdem speciei, & prima ratione similes, hac ratione sint contrarii, velut descensus aëris, vsque ad locum naturalem & ascensus ad eundem locum quà motus: contrarii quidem sunt, tamen secunda ratione similes, quia eidem secundum naturam. Ascensus verò aëris à suo loco vsque ad cœlum, quà motus, est eiusdem speciei cum ascensu aëris vsque ad locum suum, tamen secunda ratione est contrarius, quia est præter naturam aëri, cui alius est naturalis. Sed de ratione contrariorū motuū mox dicemus rursum. Porrò scire

Respondetur.

scire oportet motum vnum dici aliquando non ob speciem, sed ob id in quod itur, non est autem idem dictu eadem esse motus speciem, & idem esse id in quod itur. Quia potest iri in idem per multos, diuersos, quin & contrarios motus, cum scilicet est idem in quod itur & multa versus quæ itur. Cùm ergo Aristo. dicit cuique corpori simplici esse vnicum motum, non intelligit vnicum ob motus speciem, sed ob id ad quod itur. Nimirum vnicuique corpori simplici est vnum quiddam quod natura sua amat, illud autem vnum potest multis viis comparari, velut aër, in vnum locum natus est ferri, in hunc autem feretur siue ascendendo siue descẽdendo, quà poterit breuissime. Vnum enim hũc motum habet, ferri in eum locum, quà possit breuissimè, atq; hac ratione vnus est motus, etsi quà motus contrarii sint. Hac etiam ratione, contrarius motus dicitur is quo receditur ab eo ad quod motu alio itur, velut si naturale est aëri in hunc locum ire, præter naturam illi est ab hoc loco recedere, atque illud ab hoc loco recedere, contrarius motus accessui vocatur ab Aristo. vbi dicit, si motus aliquis corpori est naturalis, contrarius est præter naturã. Etsi profectò nõ semp recessus ex accesus aguntur per motus cõtrarios, quà motus, sed nõ nũquam per similes. Velut si mouetur quid in dicta nuper linea ab. A. ad. c. motu ab. A. ad. B. acceditur ad. B. & motu ab. A. ad. c. receditur. Sunt tamẽ motus eiusdem speciei, quià versus idem. Sed quo pacto sunt tot motus species, quot corpora simplicia (nam hoc quoque docetur primo de cœlo) si omnes motus à medio sunt eiusdem speciei, & omnes ad medium? Certè illo loco corpora simplicia redegit ad tria, non quà corpora (quinque enim sunt) sed quà mobilia, ad graue, & leue, & quod circulo agitur. Sed hec illo loco enarrabuntur; nunc illud solum dicimus, speciem motus accipi aut à forma eius in quo, vt circuitio differt à latione recta; aut ab eo versus quod, vt versus medium recta aut versus extremum. Sed de vno motu numero supersunt adhuc obiectiones primum ex dictis fieret, vt si canis ruens ex loco sublimi in ipsa via moreretur, motus nõ esset vn? numero, quia quòd moueretur non esset idem numero, videtur autem falsum esse, quia est ab eodem in idem eodem tempore, & continuatus. Videtur ergo nõ opus esse vt dicta omnia sint eadem, quò motus sit idem. Alia ex parte videtur, nõ esse hæc satis, sed aliis etiam esse opus. Nam fieret vt idem numero motus esset naturalis, & pręter naturam rei eidẽ, velut si portio aëris trahatur ab extremitate cœli vsq; ad centrum mundi, motus erit idem numero, quia eiusdem ab eodem in idem, in eodem, & eodem tempore, tamen ab extremitate cœli ad locum suum veniet secundum naturam, ab eo loco vsq; ad centrum trahetur violentia. Pręterea videtur Arist. insinuare non alia ratione oportere, vt motus qui sit futurus vnus, sit in idẽ quàm quod qui in diuersa sunt, ac proinde diuersi specie, non possunt esse continuati: videtur autem hoc falsum esse, quia procedẽte sermone monstrabitur ac nũc ponitur, quia in comm. etiam mõstratum est antea, posse motus, etiam contrarios, iungi sine media quiete: possunt ergo continuitatem recipere. Accedit quòd non videtur cur negemus hoc posse motibus accidere, cum in rebus permanẽtibus videamus multas specie diuersas continuatas, velut sunt animalicula affixa lapidibus, & arborum radices, quæ videntur nonunquam lapidescere, & in nobis ossa & ligamẽta ossium & omnes nostri partes, vnũ continuatum faciunt, etsi earum multæ, & variæ species sint ac formæ. Harum obiectionum dilutiones pendent ex quæstionibus quæ ad alia loca pertinent, in quibus vt quisque sentit, ita his respondet. Velut de cane moriente in descensu, qui putant non esse vnicam formam in toto animali, sed præter proprias singulorum, esse communem omnibus formam, quam vocant corporeitatis, aut formas simplicium partium priores forma totius, atque etiã qui putant accidentia corporea in herere non toti substantiæ sed materiæ primæ, dicent, vnicum esse illum motum, quia etsi forma canis pereat, tamen subiectum in quo motus recipitur idem manet. Quibus verò placet accidentia inhærere toti, & vnicam formam esse posse in quouis corpore, concedent esse duos motus numero etsi hi sint specie idem. Secundæ obiectioni respõdent quidam, duos etiam esse motus non vnicum, si aër à cœlo ad centrum feratur, quia non putãt ex naturali & pręter naturam posse conflari motum eundem:

Obiectiones de vno.n.

Respondetur.

dem. Quinimo quidam eo vsque progrediuntur, vt dicant nō posse eos motus nō separari quiete aliqua, quia putant Aristo. 8. lib. de physi. doctr. docere non posse motum naturalem & præternaturam non dirimi aut separari aliqua quiete. Tamē Aristo. id nequaquam dicit. Sed motus contrarios nescessariò habere quietem in pūcto reflexionis. Quibus verbis aperte indicatur non posse contrarios fieri alium ex alio nisi cum reflexione: tamen constat naturalem ex non naturali fieri sine reflexione vt in præsenti hypotesi. Ergo vt motus sint contrarii quà motus sunt, non est satis aliū esse naturalem & alium præter naturam, sed oportet vt sint versus contraria: quare si sunt versus idem, si & id quod mouetur & tempus sit idem, erit idem numero, etsi partim sit naturalis partim præter naturā. Concedimus ergo illum motum esse vnū & eundem aëri naturalem & præter naturam, neutrum quidem simpliciter, vtrūque autem secundum partem, quadantenus naturalem, reliquum præter naturam Motus specie diuersos siue contrarii sint, siue non, quos quies nulla neq; tempus separat, dicit Arist. non esse continuatos, sed velut contiguos, aut tangentes sese, de rebus permanentibus non omnes dicunt eodem modo, quidam dicunt nulla specie diuersa esse continuata, quare virgam quadam ex parte aridam, et hominē cui crus aliquod mortuum sit, et animalia affixa, et radices arborum cum petris contiguas, tantum esse hominis vero totius, quem vnum continuatum esse non possunt negare, vnicam formam esse totius, et partiū omniū, vt ossis et carnis, alii sunt quibus hæc omnia videntur esse continuata et specie diuersa, continuata quia mouētur simul? specie diuersa, quia substantia non aliter à nobis cognosci potest quā per accidentia, hęc autem his rebus diuersa admodum esse cōstat iudicio sensus. Horum sentētia videtur mihi magis consentanea, ac proinde dico, non omnem continuitatem esse in formæ substantiæ vnitate. Sed esse multa continuata secundum materiam, velut virgæ semi-mortuę partes: quedam secundū materiam et formam aliam vltimam, velut partes hominis. Nam Arist. ipse lib. 5. cap. 3. de phisi. doct. dicit quędā continuata esse glutine aut clauo, constat vero gluten, aut clauum non esse causas vnitatis formæ, neque omninò opus esse, quo res continuatæ sint, vt habeant eandem formā, in motibus vero quoniam nō habent materiam secundum quam continuitatem habeant, neq; affixio aut cōglutinatio aliqua est, merito dicit Arist. nisi sit vnitas formæ esse velut contiguitatem magis quam continuitatem. Sed de continui ratione procedente sermone dicemus, nunc de vno motu satis dictum est.

Qui motus sint contrarij. 32

EX proxima quæstione fit hęc facillima. Nā si motus differētia accipitur à differētia formarū quæ motu cōparātur, certè et contrarietas accipietur ex earū cōtrarietate. Nam contraria sunt, quæ sub eodem genere, formis et speciebus lōgissime distant. Ergo contrarii motus erunt qui in contraria. Atqui Arist. ita dicit, contrarios motus esse eos qui in contraria, aut qui ex contrariis in contraria. Nihil autem interesse putat primo aut secundo modo dicatur. Nam qui sunt incōtraria, non possunt non esse ex contrariis: velut qui in sanitatem ex morbo et qui in morbum ex sanitate est. *Obiicitur.* Sed neq; hic desunt obiectiones. In primis videtur fieri vt ortus et interitus substantiæ contrariæ mutationes non sint quia cum sint mutationes, secundum substantiam, et in substantiis nōn sint contraria, non erunt formæ à quibus mutationes illæ contrariæ fiant. Acretionis et decretionis videtur esse eadem ratio, quia vt substātiæ, ita neq; magnitudini est contrarium. Deinde motus ab. a. in. b. et à. c. in. b. in hac linea. a.——b——c. sunt contrarii, tamē cū sint in eadem, non videntur esse in contraria. Præterea videntur nulli motus esse contrarii, quia si essent, possent vt alia accidentia quæ contraria sunt, esse simul remissa gradibus, tamē motus qui in cōtraria sunt, nullatenus possunt esse simul. Præterea motus et quies sunt contraria, ergo nō est motus contrarius motui, neq; quies quieti cum vnum non nisi vni possit esse contrarium. *Respondetur.* Primæ obiectioni respondetur, ortū Et interitum non esse motus sed mutationes, non esse autem eandem rationem contrarii in mutationibus et in motibus, quia cum motus sint à subiecto in subiectum, vterq; contrariorum motuum est in subiectum, quare ea in quæ sunt, cōtraria sunt? mutatio

mutationes verò sunt à subiecto in nō subiectum, aut à non subiecto in subiectum: proinde cum non sint ambæ mutationes contrariæ in substantiam, non possunt esse in contrarias substantias: sed ratio contrariarum mutationum est, vt vnum sit ab eo in quod aliud, vt vna in substantiam, alia ex substantia. De accretione & decretione idem dixerim, quod de ortu & interitu, quippe quas esse mutationes antea probaui. Secundę obiectioni respōdet Arist. medium habere rationem vtriusque contrarii, atque proinde ferri à contrariis extremis in idem medium, est ferri quodāmodo in contraria atque hac eadem ratione cōstat, quod nuper diximus, si motus sunt in contraria, necessario esse à contrariis. Nam si per illam lineam aliquid feratur a. b. in a. & aliud a. b. in. c. motus ambo incipient, à. b. tamē quia b. est medium habet rationem duorum contrariorum. Nihil interest hoc modo respondere, aut vt ego proxima quæstione dixi, motus cōtrarios esse, non qui vtcunque in cōtraria, sed qui versus contraria. Tertiæ obiectioni respōdetur non oportere, vt motus cōtrarii esse possint simul, etsi qualitates quæ permanētiam habentes cōtrariæ sunt, possint: quia contraria possunt esse simul, non tamen possunt fieri simul, quia vnius generatio & alterius corruptio idem motus est, cum semper vnum contrariorum sit terminus à quo, & aliud ad quem, constat verò non duobus sed eodem motu recedi à termino à quo & accedi ad terminū ad quem itaq; contraria non possunt fieri simul, motus autem non possunt esse nisi fiētes, proinde nullis gradibus possunt esse simul. Vltimæ obiectioni respondetur nō posse vnū multis ęque contrarium esse, tamen plus vni quàm alteri, vt album nigro, & fusco, aut diuersa ratione, vt vni affirmatione, alii negatione, nihil prohibet. Magis contraria sunt motus motui aut quies quieti, quā motus quieti, quia quies & motus nō sunt in eodem genere proximo: atque motus motui contrarius est, qui sunt in cōtrarios fines, motus quieti alia ratione, vt quies significat priuationem motus in valente moueri, est contrarius negatione, & ita quiuis motus cuiuis quia contrarius est, vt verò significat ipsum manere & esse in aliquo, est ei motus alia ratione contrarius, & non quiuis cuiuis, sed quidam cuidam, nimirum quies qua statur in cōtrario, motui quo itur ad contrarium contraria est, ea verò qua statur in eodē motui quo itur in idem non est contraria. Quare quies supra contraria est motui deorsum, & quies infra motui sursum, verius verò cōtrarius est motus sursum motui deorsum, & quies supra contraria est quieti infra, quia motus motui, & quies quieti, vniuoca ratione contraria sunt, motus quia itur ad contraria, quies quia statur in contrariis: motus autem quieti ratione æquiuoca, quia scilicet illo itur in cōtrarium ei in quo hac statur. Itaque diuersis rationibus nihil absurdum est, vnum multis esse contraria, velut ascēsus aëris vsque ad locum suum, contrarius est in ratione motus descensui eiusdem à cœlo vsque ad eundem locum, tamen vt motus huius rei non sunt contrarii (ambo enim naturales) quin potius ascensus aëris à suo loco vsque ad cœlum erit vtrique illorum contrarius, descensui à cœlo vsque ad eum locū vtraque ratione, & quà motus, & quà huius rei motus, ascensui à loco terrę vsque ad eum locum, altera tātum, hoc est, quà huius rei motus, atque quia vnus naturalis, alius præter naturam.

An continui diuisio sit infinita. 33

Continuum non constare ex indiuisibilibus, atque proinde non posse in oēs suas partes diuidi, sed habere diuisionem potentia infinitam, Arist. primis duobus cap. lib. 5. de physica doctrina dissertissimè docuit, & firmissimè probauit, atque ego in comentariis eas monstrationes satis explicui, quare nunc ob formulas disputationum quas scribendas suscepi, eas non repetam, (frustra enim repetuntur) tamen obiectiones quasdam difficiles dilluā. Primum, vnumquodque diuidi potest in ea ex quibus constat, sed continuum siue sit corpus, siue motus siue tempus, cōstat ex omnibus suis partibus, ergo potest diuidi in omnes suas partes, quod si fit, constat diuisionē esse vsq; ad indiuisibilia, nam si singulę partes separatę erūt diuisibiles, nō erit facta diuisio in oēs in quas fieri poterat: quod si erunt indiuisibiles, constat cōtinuum componi ex indiuisibilibus, quādo

doquidẽ in indiuisibilia resolui potest. Præterea, continuum potest in infinitũ diuidi, ergo potest in infinitum esse diuisum, nam vt dicit Aristotel. 8. de phisi. doctrin. quod nõ potest esse factum non potest fieri, sed si potest esse in infinitum diuisum, potest esse diuisum vsque ad indiuisibilia, nam ex finito non posunt separari infinita diuisibilia. Præterea aut Deus agnoscit in cõtinuo partes infinitas, aut non, si cognoscit, ergo potest separare, (nam quid ei resistit?) Si non agnoscit, ergo non sunt. Nam impium videtur concedere, esse infinitas partes tamẽ non cognosci à Deo omnes quòd si non sunt infitæ, sunt ergo finitæ, quare & diuisio continui sit finita, & diuidi poterit vsque ad indiuisibilia, quia si semper diuiditur indiuisibilia, diuisio est infinita. Præterea, corpus perfectè sphericum tangere potest perfecte planum, ergo ea corpora sese tangent secundum se tota, aut secundum partes aliquas (nam si neque secundum totum, neque secundum partem, omninò non fit tactus) sed tangunt sese in puncto solum ergo punctus est pars corporis, idẽ argumentum est de quibusuis corporibus quæ se tangant, quia cum non posint sese penetrare, non posunt se tangere nisi secũdum superficies, quare superficies sint partes corporum. Si autem superficies sunt partes corporum, profecto & lineæ sint partes superficierum, & puncta linearum, quare & puncta sint partes corporum, atque omninò diuisibilia constent ex indiuisibilibus. Præterea punctus potest esse proximus puncto, & linea lineæ, & superficies superficiei, ergo ex punctis proxime ad sese positis potest fieri linea, & ex lineis superficies, & ex superficiebus corpus. Posse autem proxima esse indiuisibilia videntur, quia si Deus ex linea hac . a——c. auferat punctum. a, quod est initium lineæ, eo sublato linea habebit punctum alium, à quo incipiat qui sit. b. qui punctus videtur necessario fuisse proximus puncto. a, nam si non fuit proximus aliqua linea fuerit inter a. &. b. quæ fuerit etiam sublata cum. a. Si ergo solum. a. sublatus est. a. &. b. fuerunt proximè positę, ergo aut Deus non potest tollere ex linea, vel in nihilum deducere solum vnicum punctum, aut eo sublato supererit linea à nullo puncto incipiens, aut punctus est proximus puncto. Quod si dicas, duo illa puncta esse idem fit vt aliquid secundum se totum fit in nihilum redactũ & secundum se totum maneat, videntur aũt alia omnia cõtinere repugnantiã, quare superest punctum puncto posse esse proximum. Deinde potest Deus facere nunc hominem aut angelum (nã nihil interest) & inmediate ante hac fecisse alium, & inmediate post hac (liceat ita dicere) alium facere: quod si fiat, constat tres homines tribus proximis instantibus fieri. Hæ sunt dificilimæ obietiones quæ hoc loco occurrunt, quibus qui respondere facile vollet, legat omnia quæ in comentariis illorum capitum scripta sunt, ego enim nunc breui pro forma argumentorum respondebo. *Responsio detur.*

Concedo quodcunque corpus diuidi posse in ea ex quibus constat, & cõtinuum cõstare ex omnibus suis partibus, & proinde diuidi posse in omnes, non simul, sed in quascunqne, nullas enim partes habet in quas non posit diuidi, non tamen proinde posit in omnes simul. Quod si in propositione intelligebatur quodcunque posse diuidi in ea omnia simul ex quibus constat, negabo propositionem, sin autem nõ ita intelligatur nihil colligitur nisi (quod concesi) in quascunque partes quibus constat posse diuidi. Secundæ obietioni respõdetur, concedendo nihil posse fieri quod non posit esse factum, & concedendo cõtinuum posse in infinitum diuidi, & negãdo posse esse diuisum in infinitum, nã idẽ est in infinitum esse diuisum, & in infinitas partes esse diuisum, tamẽ in infinitum diuidi non est in infinitas partes diuidi, sed diuisionem numquam finiri, non ergo illud in infinitum vno modo accipitur, & vniuocè, quia primò loco significat infinitã diuisionẽ, secundo infinitas partes, non euenit autem si diuisio infinita fit, vt posit esse facta, immò contrarium, quia si esset facta, iam non fuisset diuisio infinita. Itaque dicimus, velut non potest esse facta diuisio in infinitas partes, ita neque fieri posse diuisionem in partes infinitas, tamen fieri diuisionem infinitam. Tertia obiectio qua queritur, an Deus agnoscat partes omnes continui, & an posit separare malè torquet multos. Quidam eo argumẽto & quibusdam aliis coacti, dicunt, deum & agnoscere & separare posse partes omnes, nollunt tamen dum in deum piè agũt impii esse in Aristotelem ac proinde ne cõcedant eas partes fore indiuisibiles, dicũt quod

quodammodo esse diuisibiles (quanquam diuisæ iam sint, quãtum potuere) quia vnitæ rursum partes esse possunt, rem plane inintelligibilem, nam quid refert vnitam rursus posse esse diuisibilem, ne nunc cũ iam est omninò diuisa, sit amplius indiuisibilis: proinde alii cùm sibi videantur, non posse deo integram cognitionem & separationem omnium partium continui denegare, audent (magnum facinus) contra Aristote. dicere, continuum componi ex indiuisibilibus, certè hi sunt infortunatissimi homines, qui cùm vix aliquando, & vt sibi videtur pietatis in Deum gratia, audeant Aristo. repugnare, ea in re repugnant quam dixit verissime. Nihil enim apud illum certioribus monstrationibus indicatum est, quàm continuum non cõstare ex indiuisibilibus. Proinde alii, quos video nunc esse in precio, respondent, Deum agnoscere omnes, sed non posse omnes separare, non quidem ob impotentiam eius aliquam, aut quòd quidquam ei possit obsistere, sed quia illæ sunt inseparabiles, atque deus ipse inseparabiles eas esse agnoscit, quia agnoscit quales sunt. Sed meo iuditio nihilo dicunt melius quam priores, nam idem argumentum est, siue separentur siue non, si agnoscuntur omnes. Nam rogo, an partes illæ quas Deus agnoscit, cum agnoscit omnes, sint diuisibiles an nõ si sunt diuisibiles ergo non agnoscit omnes, si indiuisibiles continuum constat ex indiuisibilibus. Quare ego respondeo, qđ antea in quæstione de infinito dixi, Deum neque separare posse partes omnes, neque agnoscere, quia infinitum esse actu, aut numerũ esse infinitũ continet contradictionem: nihil autem detrahit omni potentiæ dei optimi max, non posse facere quod cõtradictionem continet: immò vero imbecillitas mentis nostræ est, dum id ita concipimus, quasi Deus aliquid non possit, nihil enim est quod non potest. Atqui, dum dico Deum non agnoscere omnes partes continui, non proinde dico quòd aliqua illius pars illum lateat, non enim latet (nam nulla pars continui est quam non penitissimè agnoscat) sed quod omnes quæ diuisione nasci possunt, non habet innumerato, quia infinita sunt omninò innumerabilia, numerus, enim est infinitus additione. Gloria & honor Deo qui de rebus tam abditis, & quæ supra nostrum captum sunt nos vt cũque loqui concedit. Vltimæ obiectioni respondetur, corpora tangere sese, sed neque secundum se tota, neque secundum partes aliquas totas, sed secundũ partes aliquas in adequatè (hęc ita claritatis & breuitatis gratia dicamus) secundum eas si licet, quæ spectat ad extremum, sed secundum nullam partem diuisibilem totam, quia nulla pars est omnium extrema, cum dictum sit nullam partem esse indiuisibilem. Vltimo argumento respondetur deũ non posse separare à linea punctum, quia vt mox monstrabitur, pũctus nihil est qđ actu sit in rebus, si autem non est ibi actu, repugnantiam continet inde separari, neque quidem potest homo aut angelus esse factus inmediate ante hoc, neque esse gignendus inmediate post hoc nunc, quia vt paulò infra monstrabitur res quæ permanentiam habent non possunt incipere esse nisi per primum nunc, non potest autem esse indiuisibile indiuisibili proximum in continuata magnitudine: quare constat generationes rerum permanentium quæ nõ sint in eodem nunc, non posse esse continuatas, sed solum posse esse deinceps positis, in huius obiectionis dilutione laborãt multi, non alia causa, meo videri, quàm ꝙ physica placita non satis assequuntur.

De punctis & mutatis, & nunc seu instãtibus, an sint in rebus & quid sint. 34

QVandoquidem in his quæ supersunt crebra futura est horum mentio, operepretium sit hoc in primis nosse, videbitur autem alicui non esse dubium, quin hęc in rebus sint. Nam aliter sit quod cunque illorum nihil, quare de nihilo contendet Aristote. disputans an idem sit nũc tempus difluens, an aliud, & aliud, & an linea constet ex punctis. Præterea si pũcta nihil corporearum substantiarum, & mutata nihil motus, & instantia nihil temporis sunt, certè neque lineæ, neque superficies quidquã sint, ad verò videntur esse, nã corpus perfectè sphericum potest tangere perfecte planum, tamen secundum nihil diuisibile, neque omnino secundum nihil quia ne tangeret quidem, ergo indiuisibilis punctus aliquid in corpore est. Sed & corpus

corpus pyramidale tangens aliud secundum angulum, tangit secundum lineam, quinimo quodcunque corpus aliud tãgat secundum indiuisibile. Nam solum extremitatem tanget, (Si enim secundum substantiam ipsam tangeret, penetrarent sese) ergo aut illa tangentia sese, neque secũdum se tota, neque secundum partes sese tangunt, aut indiuisibiles illæ magnitudines sunt substantiarum partes. Sed quo pa- *Cõtraria, argumẽta* cto possunt hæc aliquid esse. Si enim punctus aliquid est (eadem est ratio aliorum) substantia sit aut accidens. Substantia quidem non sit, neque tota neque pars, quia non sit spiritualis vt dæmon (non enim posset vnire, aut finire, aut initium esse magnitudinis) corporea autem omnis est cũ magnitudine: Si autem est accidens, accidet alicui substantiæ, & ei cui accidet præstabit appellationem aliquam denominatiuam, vt calore calidum, & sanitate sanum dicitur. Sed cui substantiæ inest? Spirituali, an corporeæ? Certè spirituali nulli, quia est in substantia quanta, si autem corporeæ, necesse est, vt recipiatur secundum naturam recipientis, & cùm extensione. Dicũt quidam, ea quidem esse accidentia, non in esse tamen substantiæ per se, sed per magnitudinem. Sed si insunt substantiæ per aliud, necesse est vt illi alii insint perse, quare per se inerunt magnitudini, quare ita quoque inerunt cùm extensione: velut candorem dicunt quidam extensionem habere, quia inest substantiæ corporeæ, alii dicunt quia inest magnitudini. Præterea quam appellationem denominatiuam possunt hæc tribuere? Dicunt puncto linea est continuata, & linea superficies, & superficie corpꝰ. Sit ita, tamen illas appellationes præstat ipsa continuatio, continuatione enim est cõtinuatum, tamen puncta lineæ & superficies, non sunt continuationes, sed quibus continuatio fit, quare aliâs appellationes esse oporteret ab his accidentibus, vt punctatum aut lineatum, quæ re vera in rebus non sunt. Nam si reuera sunt in rebus lineæ, certè re vera est quam vocant lineam gyratiuam, quare re vera est aliquid infinitum. Nihil enim refert esse separatum aut non. Non enim (arbitror) concedes, esse infinitum calorem, aut colorem, neque minus absurdum esse putabis hæc infinita esse *Decisio.* quàm si separatum aliquid esset infinitũ sunt enim actu etiam quæ in aliis sunt. Nã actu est calor in igne. Quid ergo est in hac quæstione magis consentaneum? Certè mihi videntur puncta & mutata, & instantia & lineæ, & superficies, neque substantiæ esse neque accidentia, dictis argumentis, quare neque res aliquæ omnino, neque tamen omninò nihil, sed principia magnitudinis, ei initium, finem, & continuitatem præstantia: velut materia neque substantia est, neque accidens, neque omninò res aliqua, sed neque nihil, sed principium substantiæ. Sunt itaque puncta (hæc.n. sunt prima principia magnitudinis, posteriora lineæ & superficies) tanto imperfectioris esse quàm materia, quanto magnitudo q̃ substantia. Sed puncta vbi sunt? in substãtia, non per se, sed per magnitudinem, per eam verò non vt accidentia, neque substãtiæ, neque magnitudinis, sed vt magnitudinis principia. Principia autẽ sunt in vnoquoque, non actu sed potentia, itaque hæc nihil sunt, quod actu sit, sunt autem potentia in quanto, vt principia magnitudinis, atque sunt in cathegoria quanti, vt quanti principia, velut materia & forma in cathegoria substantiæ, reductiuè, vt dicunt. Quare ego cùm sphericum tangit planum aut vtcunque duo corpora se tangunt, nõ dicam, secundum punctum aut superficiẽ esse tactum, nam tactus fit actu, illa autem non sunt actu, sed secundum partes quasdam, etsi secundum nullas totas (hoc est quod dicunt secundum nullas adequatè) velut nulla pars magnitudinis est per se totam prima, etsi est prima tertia, & prima sexta, & prima duodecima, & cuiusque appellationis pars aliqua prima. Neque tempus p̄sens esse indiuisibile rectè dicitur (si enim est tempus est diuisibile vt & motus) sed nullum tempus diuisibile esse adequate præsens. Quod est ergo tempus præsens certè adequate nullum, in adequate vltima pars præteriti & prima futuri. Atqui cùm Aristote. & mathematici de punctis lineis, & nunc & mutatis disputant, loquuntur per hypotheses aliquid doctrinæ gratia, ponentes, hæc esse in rebus, non autem quod re vera sint actu.

De motus diuisione. 35

Motum diuidi diuisione corporis qđ mouetur, & diuisione temporis Ari. do-

docet, capite secundo libro sexto de physica doctrina. Nimirum motus qualdã partes habet simul quasdam fluentes vt tempus: priores quidem sunt secundum partes corporis, posteriores secundum partes temporis. Nam cum motus sit passio quædam quæ corpori inest recipitur, vt aliæ corporis passiones cum extensione, estque alia motus pars in crure, alia in manu hominis qui mouetur. Cùm autem motus mensuretur tempore, habet etiam partes diuersas, secundum diuersas partes temporis: Velut prima horæ parte prima motus pars est, secunda secunda. Preter has diuisiones, quarum Aristote. meminit, constat esse aliam secundum partes eius in quo, seu formæ secundum quam motus fit. Velut motus à Guadalaxara ad Madritũ prima pars est ad Complutum, secunda à Cõpluto. Neque verò hec est eadem ratio diuidendi cum secunda, quam diximus secũdum tempus. Nam si à Guadalaxara Complutum venit quatuor horis, & à Compluto insumit sex, à Guadalaxara in Complutum fit dimidiatus motus secundum partes viæ, tamen non fit dimidiatus secundum partes temporis. Eadem etiam ratio diuidendi est in reliquis motibus. Si quid calescit ab vno gradu vsque ad duos vna hora, & eodem perpetuo motu à duobus vsque ad tres duabus horis, certè vsque ad duos gradus est dimidiatus motus secundum partes formæ; tamen secundum partes temporis est tertia motus pars: secundum partes magnitudinis est æqualis semper, cum idem, & æquale corpus est quod mouetur. Hæc vocant quidam in quæstionem, vtunturque quibusdam obiectionibus partim leuissimis partim alienis. Mihi verò explicata sunt satis hæc. & an in instanti sit motus aut quies, & an instans instanti proximum esse possit, ponant illi in controuersiis, quibus nihil vtile dictum est in commentaris.

36 De ratione celeris & tardi motus.

Motus celerior est is quo minori tẽpore plus, aut ęquale aut æquali plus percurritur, tardior quo minori ęquale aut minus, aut æquali minus percurritur: fit celerior qui à facultate maiori aut cum resistentia minori, tardior qui à minori facultate aut cum maiori resistentia: sed quę alia ratio mouendi sit cùm celeriter res quæpiam mouetur, quam cum lente, aut qui fiat vt eodem tempore plus ab hoc percurratur quam ab illo, si vtrumq; continenter mouetur, res est intellectu difficilis, de qua in controuersiis medicis ob pulsus celeritatem & tarditatem scriptũ à me est, atque in commentariis lib. 6. de physi. doctri. sed quoniam cæpimus in hũc librũ, quæstiones physicas excipere ex cõmentariis, non possumus nõ hìc iterũ ad eam redire. Aristo. cap. 2. li. sexti proinde dicit aliquid moueri celerius, quod prius mutatur, lentius quòd tardius. Nimirum meritò fit vt quod à maiori causa aut cum minori resistentia mutatur, plus mutetur, & citiùs: Atq; illud citius esse posit, vel antequam mutari ceperit res, vel etiam cũ iam mutatur. Vt siquis vult magnum lapidem loco mouere, tanto tardius mouere incipiet, quãto is erit debilior, aut lapis grauior, atque cùm moueri loco cæperit tanto etiam tardius transferetur, quanto dũ transferetur, minus mutabitur, quia nõ solùm mutatio facta, sed ipsum etiam mutari recipit magis & minus, & illud magis aut minus in ipso mutari, est velocitas aut tarditas. Hoc dicit Ari. Gale. tamen non videtur esse satis, quia hoc idem videtur esse quod quæritur scilicet qui fieri posit vt vnũ plus mutetur quam alterum, cùm vtrumque cõtinenter mutetur. Nam (inquid) non potest vnũ citius præterire quã aliud æquale spaciũ, nisi quod minus moretur in partibus spacii, si autem vtrumq; mutatur cõtinuato motu, neutrum moratur quidquã, quod si neutrum moratur quidquam, nõ moratur vnum plus quã alterum. Hoc argumẽto persuasus putat motum qui potest fieri celerior aut tardior, nõ posse esse cõtinuatum, sed necessariò esse intercissum multis morulis, seu mãsiunculis, quarũ longitudine tarditas, breuitate celeritas motus constet. Itaque dicit, motũ constare exquibusdam transgresiunculis & morulis, atq; singulas transgresiones præ breuitate esse insensibiles, & esse celeritatis æqualis, & æqualis productionis, totam verò differentiam esse in longitudine morularũ, quę esse posit maior aut minor. Verum hãc sententiam in commentariis refutauimus, argumento (arbitror) euidenti monstrantes

esse celeritatem quæ non posit in longitudinem morularũ reiici. Nam si circum ducatur rota in cuius extrema peripheria infixus sit clauus, & alius iusta centrum, aut sint duæ muscæ eis locis rotę insidentes, necesse erit claui infixi aut muscæ insidentis in parte exteriori, motum esse celeriorem, etsi morulæ non poterunt esse longiores. Quia ambo claui aut ambæ muscæ transferentur & quiescent, simul cum tota rota, totius autem rotæ vt pote continuatæ partes omnes mouebuntur simul, quare & claui aut muscæ, vt non posit alius transgredi alio manente. Quod si potest motus motu celerior esse præter differentiam morularum, constat non esse opus, hanc saltem ob causam, eas in motu ponere, & ei continuitatem denegare. Simile etiam argumentum esse posit de partibus illius rotæ, aut si magis placet de partibus cœli, mouentur enim celerius quæ ad superiorem extremitatem spectāt, quàm quæ ad inferiorem, quamquam mouentur simul, vt non posint esse maiores morulæ harum quam illarum. Fortasse aliquis tentabit his argumentis respondere, dicens non esse maiorem celeritatem partium superiorum cœli quàm inferiorum, neque enim esse duas celeritates, sed vnum totius cœli motum, & vnam celeritatem, ac proinde easdem totius corporis mansiunculas, & transgresiones quod verò de clauis aut muscis dicebatur euenire, quia non mouentur per se, sed cum alio, perinde acsi essent illius partes & vnum totum esset, ac vnicum proinde esse totius motum, velut si simul totus tritici cumulus transferatur: hoc certè verè dicitur, sed quid interest res aliquas trahi aut vehi, aut perse ipsas ire, vt posint aut non posint alia ratione quàm morularum, celerius aut tardius præterire? Cur si illę muscæ quæ vehuntur, possunt sine æquabilibus morulis habere inæquales celeritates non possent etiam si eosdem circulos & easdem lineas percurrerent volantes? Profectò si ad celeritatem motus necessaria esset morularum breuitas, nulla latio posset aliter fieri celerior. Ergo quanquam obscurius (quia fortasse res non potest dici clarius) probabilius tamen dicit Aristoteles illud mutari plus dum mutatur, esse celerius ferri. Argumento Galeni respondemus concedentes quod celerius fertur minus morari in spaciis, ac proinde quod mouetur morari aliquid in spaciis, nam aliter in instanti præteriret. Moratur ergo & manet, non ita tamen vt moueri desinat, sed vt potest quies esse simul cum motu. Nimirum remisio motus quodammodo est quies, & ita quo motus est remisior eo habet admixtum plus quietis. Sed si quis magis vel lit argumento vrgere dicens, si duo corpora continenter mouentur neutrum manet in aliquo spacii puncto nisi per instans, ergo neutrum moratur plus quam aliud, respondetur, in nullo puncto esse nisi per instans, tamen in quacumque parte spacii esse alterum plus & alterum minus temporis, in punctis verò neque motus, neque quies fit, neque puncta sunt partes spacii, neque omninò vt dictum antea est, puncta aut instantia sunt actu in rebus, sed de hac quæstione hæc sunt satis.

An posit corpus infinitum finito tempore moueri, & an posit infinitum spatium transcurri tempore finito, & finitum tempore infinito, an non. 37

ARistotel. probat non posse corpus infinitum moueri tempore finito, quia non potest infinitum spatium finito tempore percurri, idem autem est infinitum transiri à finito, & finitum ab infinito quia quod aliud pertransit non potest nō pertransiri ab eo. Siue ergo infinitum per currat spatium infinitum siue finitum, per curretur infinitum. Nam aut spatium infinitum, aut ipsum corpus infinitum quod percurret, percurretur. Non posse autem infinitum spatium tempore finito percurri probat, quia in quamcunque partem spatii quę sit certæ magnitudinis, insumetur aliquod certum tempus. Cum ergo in infinito sint infinitæ partes æquales illi quæ accipitur, insumentur etiam infinitæ partes temporis æquales illi certæ, quare & infinitum tempus. Simili etiam argumento probat, non posse finitum spatium infinito tempore percurri: quia quacumque parte temporis certæ magnitudi

nis

nis pertransibitur certa aliqua pars spatii: & certa spatii pars aliquoties accepta, efficiet totum: ergo pars illa temporis accepta toties efficiet tempus, quod insumetur, id verò non poterit esse infinitum, quia eandem rationem habebit ad partem illam temporis, quam totum spatium ad partem illam spatii. Verùm hæc omnia videntur falsa: nam fieret in primis, vt corpus infinitum nõ posset moueri, quia nõ nisi tempore infinito, tempus autem infinitum non potest finiri, neque transigi: videtur autem nihil prohibere corpus infinitum, si esset (esse autem aliis de causis nõ potest) moueri posse. Nam pone corpus, quod hinc incipiens versus orientem infinita magnitudine sit moueri versus Madritum. Profectò nihil prohibet tam cito Madritum attingere, quàm aliud quodcumque quod esset finitum. Nam etsi finitæ partes motæ fuerint, tamen motæ fuerint simul, atque ita non insumpserint plus temporis in motu, quàm si mota esset vnica. Neque quidem in illa hypothesi infinitum aliquod transsactum sit. Nam quanquam totum infinitum motum sit, non sit trãsactum totum ab aliquo spatio, id enim viæ quod est à Compluto in Madritum non attigerit totum infinitum, sed tantumdem illius. Ergo non rectè monstratur non posse infinitum per finitum finito tempore moueri. Deinde neque illud rectè monstratur non posse tempore finito percurri spatium infinitum. Nam si ponas. A. moueri vna hora, ita tamen diuisa hora vt quauis pars sit duplo maior quàm sequens, & illud sequenti parte horæ semper comparet velocitatem duplo maiorem, quam proxima parte habuerit, certè in fine horæ percurrerit spatium infinitum. Eodem modo si. A. feratur per lineam b——c. Et linea diuidatur vt hora diuidebatur, & sequentem lineæ partem percurrat duplo minori celeritate quam priorem, profectò infinitum tempus immorabitur in percurrenda linea, non tantum finita, sed etiam exigua, fore autem tempus infinitum constat, quia habebit infinitas partes æquales: nam lineæ partes sunt infinitæ, æquale autem tempus erit quod in singulas illarum insumetur. Quia duplo min⁹ spatii duplo minori velocitate æquali tempore percurritur. His obiectionibus ita respondetur. Primæ quidem, Aristotelem non omninò negare (hoc saltem loco & hoc argumento) infinitum moueri posse tempore finito, sed moueri posse tempore finito per spatium aliquod finitum aut infinitum, ita vt illud spatium à toto infinito percurratur, ac veluti transiliatur, quia ita solum fiet, vt ab ipso spatio corpus infinitum percurratur. Nam in hypothesi dicta spatium illud non percurretur nisi à quadam infiniti parte, quam etiam solam attinget. Iam verò non posse infinitum finito tempore, aut finitum infinito percurri non simpliciter negat, sed celeritas motus sit æqualis, vel saltem in quacumque motus parte certa quædam. Censeo autem nullam esse hac faciliorem dillutionem. Nam & si possemus non recipere hypothesim, qua ponitur hora in infinitas partes diuisa infinito tempore percurri, quia cùm continuum non habeat infinitas partes actu sed potentia, non potest perfici diuisio continui, tamen non possumus non recipere aliam qua ponitur, iusta proportionem partium lineæ, decrescere motus celeritatem. Nam cùm in eum motum sit insumendum tempus infinitum nunquam perficietur diuisio, sed in infinitum procedet: quodquidem fieri est valde consentaneum, cum omne continuatum sit infinitum diuisione. Neq; verò etsi nunquam finietur ille motus, non est verum insumi tempus infinitum in spatium finitum. Nam spatium finitum in æternum producto motu numquam finietur. Neque sane ob infinitam remissionem celeritatis, potest negari hypothesis, nam remissio etiam celeritatis erit infinita, non actu, sed detractione, vt diuisio continui, quare nunquam peruenietur ad tarditatem actu infinitam: probauimus autem capite quinto non esse maximam neque minimam celeritatem, quin & Aristoteles capite secundo sexto de physica doctrina dixit, quacumque celeritate motus posse esse duplo maiorem aut minorem, sed de hac quæstione hæc sint nobis nunc dicta.

Obiectiones.

Respondetur.

An indiuisibile possit moueri.

Nihil quod partibus magnitudinis careat, & indiuisibile sit, moueri posse Aristoteles libro sexto de physica doctrina capite decimo his argumentis nititur monstrare. Omne quod mouetur partim est in termino à quo partim in termino ad quem, quod autem partibus caret, non potest esse partim hìc partim illic, non potest ergo moueri. Deinde omne quod mouetur prius percurrit minus aut æquale quàm maius, quòd verò est indiuisibile non potest percurrere minus aut æquale, minus quidem quia non potest esse minus indiuisibile, cum omne maius sit diuisibile in minus & in excessum: æquale verò, quia si indiuisibile percurreret equale, in instanti percurreret, nam si percurreret in tempore aliquo diuisibili, in parte illius temporis percurrisset partem illius, quare illud quod percurreretur haberet partes & esset diuisibile. Ergo non magis potest moueri quod indiuisibile est quam motus potest fieri in instanti. Deinde fieret vt punctus prætereundo mensuraret lineam, sed quod mensurat est pars eius quod mensuratur, vt digitus palmi, palmus pedis, pes stadii, ergo linea constaret ex punctis. Hæc sunt argumenta quibus Aristoteles contendit non posse moueri quod indiuisibile sit. Nihilominus Scotus secundo sententiarum distinctione secunda quæstione. 9. affirmat nihil absurdi esse concedere posse indiuisibile moueri. Immò verò videtur ei necessario fieri, si indiuisibile per se poni potest, velut separatus à continuato corpore, vt possit moueri. Argumentum verò est huiusmodi. Si corpus perfecte sphericum ducatur per perfecte planũ, tanget illud secundum indiuisibile, & describit lineam, ergo feretur illud punctum per lineam continuatam. Respondent quidam indiuisibile non posse moueri per se, posse tamen in alio, sphericum autem corpus moueri per se, indiuisibile cùm alio. Cæterum huic dilutioni accutissimè occurrit Scotus, dicens, nihil interesse, quod ad argumenta quibus Aristoteles vtitur, attinet, siue per se siue in alio moueatur punctus, vt posset per se moueri, si per se moueretur. Nam etsi tota sphera fertur per planum, tamen nulla pars spheræ tangit planum, & describit lineam per se, sed solum indiuisibile, vt autem punctus possit aut non possit mensurare lineam, quin linea constet ex punctis, quid interest punctum qui mensurat esse vnitum substantiæ, alicui aut non esse? Quasi verò magis sit longitudo decem pedum, si mensuretur pede aliquo deciso, quam si quis homo suo pede mensuret. Si ergo punctus posset separari à corpore posset eodem modo per lineam trahi, & lineam describere, quo nunc in sphera. Neque video qua causa tantopere timeat Aristoteles ne linea constet ex punctis, si punctus transeat per lineam, cùm ille concedat idem nunc indiuisibile decurrere per infinitum tempus, tametsi tempus non constet ex nunc. Sed neque aliorum argumentorum aliquod habet quid quam efficatiæ. Nam vt moueatur quidpiam opus est, vt sit partim in termino à quo & patim in termino ad quem, sed illud partim non opus est vt secundum partes corporis quod mouetur sit (immò verò hoc est per accidens quia partes habent talem positum incontinuato) sed potius secundum partes eius ad quod itur: nimirum quod mouetur neque est in solo termino a quo, quia nondum moueretur, neque in solo termino ad quem, quia iam quiesceret, sed in medio, quia autem medium est particeps vtriusque extremi, quod in medio est, est partim in hoc partim in illo: Aliôqui, si quod corpus secundum se totum vno gradu calidum, æqualiter calesceret, ea cadem celeritate secundum partes omnes, non moueretur, quia non haberet alias partes in hoc alias in illo termino, sed æque omnes in vtroque. Iam verò non minus inane est illud aliud quod dicebatur, omne quod mouetur moueri prius per æquale aut minus quam per maius: negandum enim est statim, neque aliter probari potest, quam exemplo diuisibilium. Si autem indiuisibile feratur, nunquam feretur per æquale sibi, sed semper per diuisibile: velut nunc temporis non decurrit per nunc, sed per tempus. Quoniam autem non concedimus punctum corporis moueri per punctum spatii, sed per partes, constat nullam eius motus partem posse fieri in nunc sed in tempore. Nam diuisio temporis non nascitur ex diuisione eius quod mouetur, sed ex diuisione

Scotus.

uiſione eius in quo fit motus. Itaque hæc argumenta Ariſtotel. nullius momenti eſſe, neque ob hæc fieri vt indiuiſibile moueri non poſsit, acutiſsimè ac veriſsimè probauit Scotus. Sed quid reſpondet Ariſtotel. (nam repugnare nefas) dicit Ariſtotelem intelexiſſe non poſſe eſſe res indiuiſibilis motum, ſecundum partes eius quod mouetur, diuiſibilem. Verum hanc interpretationem merito derident alii. Nam quid eſt aliud hoc dictu, quàm non poſſe, quod partibus caret, cùm partibus moueri? Ego vero ſi Ariſtoteles ſim, mallim deceptionis, quàm tam nugacis & ſtolidæ doctrinæ notari. Sed neque hanc tam ridiculam interpretationem ferunt pleraque argumenta. Nam cum dicit fieri vt linea conſtet ex punctis, ſi punctus delatus menſuret lineam, non colligit ſi motus diuiſibilis ſit ſecundum partes, ſed ſi corporis, indiuiſibilis ſit aliquis motus. Immo verò ſi vtcumque (etſi repugnantiam continet) ponatur ille motus eſſe diuiſibilis ſecundum partes, non fieret vt linea componeretur ex indiuiſibilibus. Ergo haud dubie Ariſtote. non intelligit non eſſe corporis indiuiſibilis motum ſecundum corporis partẽ diuiſibilem, ſed quia nõ poteſt eſſe rei indiuiſibilis motus ita diuiſibilis, omninò non poſſe eſſe eius motum. Alii videntes hanc interpretationem Ariſtotel. quàm Scotus ſcripſit, ſatis eſſe refutatam, tam inſolenter contendunt, non poſſe quod indiuiſibile eſt moueri, vt prorrumpant in hæc verba, neque per potentiam Dei abſolutam poſſe punctum ſeparatum moueri per lineam, qui ſi argumenta Scoti intellexiſſent, vidiſſent profecto nullam repugnantiam continere moueri punctum per lineam, ſi modo punctus per ſe eſſe poſsit. Quare illud Deo non denegaſſent. Nam ſi Deus illud punctũ alligaret corpori ſpherico poſſet illum trahere per planum, cur ergo non poſsit & perſe ſolum? An indigebat Deus ſpherico illo corpore, vt capulo. Miſeret me profecto quorumdam apud quos tam ſtatutum eſt omnia quæ ab Ariſtotele dicta ſunt eſſe vera, vt hanc ob cauſam, dicant illi multa falſa. Velut nunc Scotus cum argumenta Ariſtoteles, optime diluiſſet, abſurdam interpretationem in illius gratiam commentus, calumniæ ſeſe expoſuit. Alius verò peccauit multo grauius qui pro Ariſtotele potentiæ abſolutæ Dei detrahere non dubitauit. Sed de re ipſa quid ſentiam iam explico. Indiuiſibilia vt puncta, ſi ita eſſent in corporibus, vt ſeparari poſſent, profectò ſeparata poſſent huc & illuc trahi: & lineas continuatas motu deſcribere. Hoc enim ſi ſemel perſe eſſe poſſet, nullam repugnantiam continere monſtratum eſt. Verum eſt, hos non futuros motus Phyſicos, quia non erunt ſecundum quantum, neque quale neque vbi. Nihil enim tale poteſt indiuiſibili accidere, neque inquam locus, quia aut eſt ſpatium aut ſuperficies, vtrumuis autem ſit eſt cum magnitudine quadam. Qualitas verò ſecundum quam fit motus eſt paſsibilis qualitas, indiuiſibilia autem ſunt inſenſibilia. Iam verò quantum perſe eſt diuiſibile. Phyſicè ergo illud indiuiſibile moueri non poſſet, tamen mutaretur mutatione continuata, & percurreret lineam ſine partis cuius piam intermiſsione. Sed neque hoc fieri poteſt, quia vt quæſtione trigeſsima quarta probauimus, indiuiſibilia in continuatis nihil actu ſunt, quare nullatenus ſunt ſeparabilia quia nec ſunt quidem actu res quæpiam. Si ergo dicas ſeparat Deus punctum ex ſphera, & ducat per planum. Nego ſeparari poſſe, quia quod non eſt nõ põt ſeparari, ſi tamẽ eſt. Et ſeparari poteſt quod illi non negant, non dubium eſt poſſe à deo trahi perſe vt coniunctus trahebatur. Vſque adeò illi quod negari oportuit non negant, negant verò quod poteſt monſtratione confirmari. Itaque quod res habet hoc eſt. Indiuiſibilia quæ in continuo ſunt, non poſunt moueri perſe, quia non poſunt eſſe perſe, neque verò in ipſis continuis ſunt actu, ſed vt explicatum anteà eſt, loquimur de ipſis per hypotheſim. Neque ſi intelligentur ſeparata, moueri poſſent Phyſicè, quia neque ſecundum quale ſenſibile, neque ſecundum locum, neque ſecundum quantum. Vnde conſtat, neque Angelis poſſe eſſe motus phyſicos, quia nihil tale illis ineſt, non enim ſunt phyſicè in loco, quia neque occupant ſpatium, neque continentur ab extremitatè. Quoniam autem neque immobiles omninò ſunt vt Deus conſtat eos mutari aliquo modo poſſe. An mutatione continuata ſecundum locum, an interpellata

Deciſio.

De motu Angeli.

altercantur theologi. Mihi quidem videtur respondere ex modo quo in loco sunt Si enim ita sunt, vt siquis intelligat substantiam aliquam per aliam substantiam penetrantem, aut velut calor est, & fit in loco non pellens loco illud quod inerat, profecto mutabuntur mutatione continuata, velut si callor ille posset mutato sub iecto per spatium decurrere nullam spatii partem intermittens: sin autem angelus solum est in loco per operationem nihil est absurdi posse huic nunc, & mox illi loco adesse, quin adsit medio. Non puto autem posse vtramque mutationem angelis accidere. Sed alteram quæ sit ea disputent exactius theologi. Quod in libris sacris legitur, missos esse angelos, qđ quidem verbum, motus videtur esse proprium, non admodum moueor. Nam & verbum missum esse à patre, & à summo cœlo egresio eius fuisse dicitur, & si deus nulla ratione moueri potest. Sed hæc omnia nostri gratia stillo hominis scripta sunt.

39 An necesse sit quod mouet, & quod mouetur esse simul.

ARistotel capit.2.libr.7.de physica doctrina disputat, necesse esse quod mouet & quod mouetur simul esse, intelligit autem de eo quod mouet non vt finis (hic enim potest esse à re quæ mouetur, vel remotissimus) sed de eo quod mouet vt efficiens causa. Sed hoc quoque videtur habere multas obiectiones. Nam Deus mouet omnia, qui tamen non potest quidpiã tangere, cùm careat corpore. Deinde, Sol gignit plantas, à quibibus tamen tam longe abest: quin & homo hominem gignit in vtero, longe factus: magnes quoque trahit ferrum lõge positum, quin etiam medici putant pharmaca in ventrem deuorata trahere ex toto corpore, succos, etsi ad eos non veniant, neque per corpus deducuntur. Præterea, proiectus lapis mouetur à proiiciente, à quo ipso motu recedit. Innumera alia sunt exempla rerum quæ videntur mouere, non tangentia res quas mouent. Qui putant accidentia posse esse causas effectrices substantiarum respondent his omnibus, non intellexisse Aristotel. quamcumque causam quæ mouet, tangere quamcumque rem quæ ab ea mouetur, sed vltimo mouentem rem, primo ab ea motam. Velut homo mouens lapidem baculo non tangit lapidem, tangitur tamen lapis à baculo, qui est causa quę vltimo mouet lapidem, causa scilicet proxima. Hoc est idem quod alii dicunt intelligi, agens & patiens immediata, debere esse simul. Nam cum dicunt immediata, intelligunt inter quæ non est causa media. Neque verò hoc est, vt alii calumniantur, putantes se acutius aliquid inuenisse, petitio principii, neque attributum in subiecto ponere, neque enim idem est causam esse immediatam effectui, & tangere rem quæ mouetur: alioqui, & esse causam vltimam, sit idem. Vsque adeo sunt qui in contradictionibus ridiculæ exultent. Sed hoc obiter tetigimus, redeamus ad argumenta. Dicunt ergo qui accidentia causas substantiarum esse posse non negant, si ue sol arborem gignat, siue homo hominem, siue magnes trahat ferrum, semper adesse id quod vltimo facit ei quod primo fit, gigni enim plantam vt à proxima causa non à sole sed à proximis terra & aëre, per eam virtutem, quæ à sole venit, velut ego prope ignem positus calesco ab igne vt à prima eius motus causa, vt à proxima autem ab aëre quem ignis calfecit. Hæc illi. Nos verò qui antea quęstione quatuor decima sententiam hanc refutauimus, indicantes, nihil secundum naturam esse capax virtutis faciendi aliquid se præstantius, alia responsione est opus. Ea verò est facillima (hanc in commentariis tetigimus) mathematicè ea dici tãgere sese, quorũ vltima sunt simul, Physicè verò quodcumque virtute aliud attingit, dici illud tãgere, atque vt verum sit quod Aristotel. dicit, de hoc contactu secundum virtutem intelligi debere, quomodo Deus omnia semper tangit, quia eius virtus infinita nullam partem non attingit: Angelus quoque si quid mouet, virtute tangit. Sol penetralia terræ tangit calore, & aliis virtutibus, & magnes tangit ferrum, & pharmacum succos. Generationis hominis in vtero, alia ratio est, dictum enim est mihi antea, hominem in vtero ex accidenti, & peculiaribus causis aliud agentibus oriri, hominem verò non aliter generare quàm semen fecundum gignentem, & emittentem, atque hominem esse qui omnium

Obiectiones.

nium rerum generabilium minimum præstet generationi sibi similes, quia res omnes quanto sunt viliores, tanto magis sibi similes generare possunt. Sed hæc dicta sunt antea. Fortasse putabunt illi se hoc loco ad sententiam Aristotel. propius accessisse, quia vtrumque defendunt, quod mouet & quod mouetur simul esse, non solum secundum virtutem, sed etiam secundum substantiam. Sed videamus an satis constent dictis. Lapis proiectus mouetur recedens ab eo qui proiecit. Respondere possent, quod proiicitur ex quo recessit à proiiciente, non amplius moueri ab illo, sed à partibus aëris successiuis motibus agitati. Nam hęc est sententia Aristotel. Verum hæc nullis placet, ne illis quidem qui sine iudicio eius legunt scripta. Proinde respondent lapidem, cùm moueri cæpit fuisse proximum homini proiicienti, atque hoc esse satis, neque enim opus esse vt toto motus tempore tangatur à mouente. Certe si ita putasset Aristoteles non excogitasset tam duram & difficilem proiectionis causam, non enim in eam venit, nisi vt vnumquodque moueretur ab eo à quo tangitur. Prætereà cur opus est potius contactu mouentis vt motum inchoet, quàm vt inchoatum producat, aut si sine præsentia mouentis impetu concepto aut vi potest motus produci, cur non possit inchoari? An non est eadem vis mouens, & incipiens mouere? Hæc ergo nullius momenti sunt. Sed si Aristoteles tactum virtutis intelligit, verum est quod dicit (nam perinde est causam non esse, & non tangere virtute rem quæ mouetur: vt ergo nihil sine causa fit. Ita neque sine causa cuius virtus attingit materiam) sin autem de contactu corporum intelligit (vt videtur profecto) falsum esse multis argumentis constat, constabitque magis in disputatione de proiectionis ratione, & mox in disputatione de speciebus lationum.

De lationum speciebus.

Quatuor esse lationum species, tractionem, pulsionem, vectionem, & volutationem Aristoteles docet capite secundo libro septimo. Tamen videntur esse multæ lationes, quæ nullo horum generum contineantur. Primò neque animalium motus, neque motus cœli, videtur in aliqua harum differentia esse sed neque motus grauium & leuium: quare vix vlla latio superesse videtur, quæ in his generibus sit. Deinde inspiratus aër mouetur, tamen nulla tali latione. Nam etsi quam maximè trahi aërem dicimus, tamen re vera non trahitur, sed thorace dilatato succedit sua sponte, ne sit vacuum. Nam moueri res natura sua, ac per sese, ne sit vacuum, antea monstrabimus. Sed & alię motionum species esse videntur præter has quatuor. Nam est distributio, & secretio, & expressio, & impulsio, suctus, & aliæ huiusmodi. Quod si vellis indicare has in quatuor illis contineri, ac proinde non oportuisse earum mentionem seorsum fieri, oporteret eadem ratione & vectionem & volutationem fuisse omissas, quia vectio cùm sit motus per accidens (nam quod vehitur motu vehentis mouetur) necessario refertur ad aliam speciem motus qui sit per se. Volutationem verò fieri aliis partibus tractis, aliis pulsis, Aristotel. ipse docet, atque proinde tractione & pulsione continere omnes has motus species. Ergo aut plurium, aut duarum solum oportuisset mentionem esse factam. Vt hæ obiectiones diluantur, non parum interest quo pacto quis de alis sentiat. Primum quidem motus animalium non oportet in his contineri. Nam Aristotel. ipse in illo capite dicit quatuor illas species esse motus ab alio, moueriq; aliquo modo eorum quæcumque nō per se vt animalia, sed ab alio mouentur (quo pacto autem dicat animalia à se moueri, cum iusta illius sentẽtiam omne quod mouetur ab alio moueatur, in commentariis dictum est, & rursum dicetur cùm ea quæstio disputabitur.) De motu cœli quidam respondebunt, cœlum quoque esse in his quæ per se mouentur, quod animal quoddam sit, aut vt animal, quia intelligentia aliquid illius esse videtur. Verum si cœlum animal non est, vt in libris de cœlo annuẽte Deo monstrabimus, cùm intelligentia re vera non sit eius actus, neque aliquid illius, magis quam nauta nauis, (nemo autem dicit nauem per se moueri) alia responsione videtur esse opus. Ego quidem cœlum per se & sua ipsius forma moueri puto, intelligentiam verò motum *Respondetur.*

eius tantum moderari: quare non oportet eius motum in aliqua earum ſpecie eſſe, cum mouetur per ſe. Tamen qui nihil qđ in animatum ſit moueri à ſeipſo concedũt hoc negabunt ſed poſsit tñ illi reſpondere cum dicitur quatuor ſpecies eſſe lationum eorum quæ mouentur ab alio, intelligi eorum quæ mouentur ab alio corpore, quæ verò ab incorporea aliqua cauſa mouentur, nõ opus eſſe, vt aliqua tali lationis ſpecie moueantur. Hoc enim veriſsimum eſt. Nam ſi Deus per ſe ſolum mouet primum cœlum, aut moueat quodcumque corpus libeat, certè motus in nulla harum ſpecie fuerit. Nam nihil habebit tractionis, neq; pulſionis, ſine his autem neque volutatio neque vectio eſt. Nihil autem habere tractionis neque pulſsionis conſtat, quia omne quod trahit mouet ad ſeſe, & quod pellit mouet à ſe Deus autem neque à ſe, neq; ad ſe mouet, cùm ſit æque vbique, & immobilis. Ergo hæ motionum ſpecies, eorũ tantum ſunt quæ mouentur ab alio corpore. Quare de motu grauium & leuium, facile eſt reſpondere mihi, qui anteà indicaui, & rurſum indicaturus ſum omnes naturales motus eſſe corporum per ſeſe, ac proinde grauia & leuia per ſeſe moueri. Sed qui ea dicunt paſsiuum tantum principium motus habere, & moueri à generante, aut à mouente id quod prohibet, nõ video quid poſsint reſpondere. Niſsi forte dicant cauſam quæ genuit trahere, aut pellere, aut vehere, aut voluere grauia aut leuia. Hoc verò abſurdum. Nam his motus ſine tractione & pulſsione eſt omninò. Quia cauſa quæ genuit poteſt iam eſſe corrupta, quæ autem iam non eſt, non poteſt à ſe, neque ad ſe mouere. Quare vel hoc ſolum argumento, ſit ea ſententia de motu grauium, & leuium à generante improbabilis. Sed hoc rurſum dicetur. Inſpirati aëris & aquæ quæ ſuctu hauritur per arundinem, & omnium quæ vacui cauſa mouentur eadem eſt ratio. Indicatum autem eſt mihi antea in quæſtione de vacuo, res omnes cum oportet, & vt oportet, vt vitetur vacuum moueri per ſe & natura, quam illis mundi opifex indidit Quæ ergo vacui vitandi cauſa mouentur, non mouentur ab alio per ſe, quare per ſe is motus neque tractio neque pulſio eſt, tamen mouentur ab alio quodammodo, & per accidens, ab eo ſcilicet qui faciens vt va cui periculum ſit, facit vt ea moueãtur. Velut qui dilatat thoracẽ, facit vt aër ſubeat, dicuntur tamen hæc á quo mouentur per accidens, trahi, etiam per accidẽs, quia mouẽtur verſus id quod mouet velut aër mouetur verſus eum qui dilatat thoracem, & aqua per arundinem, verſus eum qui ſugit aërem. Per ſe autem neque is motus eſt tractio, aut pulſio, aut vectio aut volutatio, quia neque motus ab alio eſt per ſe. Iam verò quod ad diſtributionem, & ſecretionẽ, & impulſionem, expreſsionem, ſuctum, & alias motiones attinet, merito eas in hac partitione non nominauit Ariſtot. quia omnes illæ in quatuor dictis continẽtur. Nõ ita tamen continentur vectio & volutatio Quia vectio neque tractio neq; pulſio eſt niſi per accidens, quia ſcilicet non poteſt non cùm aliqua illarum coniungi. Neque volutatio eſt tractio aut pulſio ſed conſtat vt ex partibus ex tractione & pulſione. Illæ autem motiones continentur vt ſpecies in generibus. Nam impulſio & expulſio & expreſsio eſt pulſio, ſuctus eſt tractio diſtributio eſt in diuerſas partes pulſio, diſtractio eſt in diuerſas partes tractio, ſeparatio aut ſecretio eſt extractio, quare eſt tractio. Hæc ergo aut nomine tantum differunt à dictis, aut ſunt in illis vt ſpeties, quare minus oportuit plures nominari. Neque verò duas poſteriores omitti oportuit, quia non ſunt priorum ſpecies, ſed diuerſa ab his genera. Sed ſupereſt nunc argumentum quod in finem quæſtionis ſeruauimus, quia oportuit dicta prius eſſe hæc omnia. Dictum eſt has lationum ſpecies eſſe in his quæ mouentur ab alio: Dictum etiam eſt Ariſtoteli capite illo tractionem fieri poſſe vel eo quod trahit moto, vt equus trahit currum, vel quieſcente vt magnes trahit ferrum, ſed ſi quod trahitur ſemper mouetur verſus id quod trahit, non poteſt à re aliqua quieſcente id quod proximum ei eſt trahi, quia quod proximum eſt non poteſt, ei cui eſt proximum, proprius fieri. Non enim intereſt ſpacium per quod accedat, aut ergo nihil quieſcens trahit aliud, aut non omne quod mouet, proximum eſt ei quod mouetur: videtur autem vtrumque affirmare Ariſtoteles. Neque verò ſolum hæc illius placita videntur contraria, ſed & illa etiam, omne quod mouet moueri vſque

ad

ad primā causam, & posse aliquid quiescēs aliud ad sese trahere. Sed etsi Arist. non id apertè fateretur cōstare multis exemplis posset, fieri inquàm tractionem à rebus quibusdam quiescentibus. Quid enim opus est magnetem moueri vt ferrum trahatur? Quin etiam sensu constat fieri motum à rebus lōgè positis. Per spatiū enim quod interest, trahitur ferrū ad magnetē. Nisi vis dicere cum iis qui tollebant naturales facultates à rebus, & ex atomis figuris diuersis constare omnia dicebant, prodire ex magnete & ferro quædam corpuscula adunca, quorum congressu trahatur hoc in illud. Sed hæc dogmata antiquata iam sunt, & à nullo probantur. Quid ergo superest? Certè cùm dicit Aristot. semper id quod mouet tangere id quòd mouetur, virtute intelligere, non corpore. Et cùm dixit omne quod mouet moueri, intelligere non quidē motu Physico moueri, sed aut moueri Physicè, aut vtcunque ab alia causa superiori affici, aut vim recipere. Nisi me vis dicere vtrobique Aristo. errasse, & vbi dixit quod mouet & qd' mouetur esse simul semper, & vbi dixit omne quod mouet moueri vsque ad primā causam; quia physicè videtur intellexisse, & exēplis plus satis Physicis vsus est. Sed hoc habeat vtcunque, intellexerit vt lubet, vt sint veræ & vt sint falsæ assertiones dictum est.

41 An ad vnicam qualitatis speciem sit perse alteratio.

Communis ferè omnium sentētia est, quæ ab Arist. cap. tertio lib. 7. de Physica doctrina putatur accepta, ad vnicam qualitatis speciē, qua passiones & patibiles qualitates continentur, esse perse alterationem. Nam non esse ad formam & figuram, neque ad habitus aut dispositiones multis argumentis probauit Arist. illo cap. Nam ad naturales potentias vel impotentias non esse eadem argumenta sunt, quæ de habitibus & dispositionibus. Nihilominus occurrunt multæ obiectiones. In primis videtur secundum iram & gaudiū non esse motus perse. Nam aut ipsum gaudium erit alteratio perse, aut erit alteratio ad gaudium. Neutrum tamen esse videtur nam omnis motus est ad aliquam formā, contrariam ei ex qua est motus, qui autem irascitur quam formā comparat nisi iram? Si autem ad iram est motus, cùm ira sit animi mutatio, erit mutationis alia mutatio. Igitur in ira & gaudio, & similibus passionibus non est alteratio perse, tamen sunt passiones in illa specie qualitatis non igitur ad qualitates illius speciei est perse alteratio. Deinde secundum durum & molle contingit res alterari perse, tamen durities est naturalis potentia resistendi tactui, & mollities naturalis impotentia. Ergo nō secundum passiones tantum & patibiles qualitates motus est. Præterea videtur alteratio esse ad quascunque qualitates, aut certè neque esse ad patibiles, aut saltem ad solas primas, calorem dico frigus, siccitatem & humorem. Nam omnia fere argumenta quibus Aristo. ab alteratione perse excludit qualitates reliquas, huc tendunt, quòd succedunt aliis alteratis. Sed omnes etiam patibiles qualitates præter primas, succedunt alterationibus quæ fiunt secundum primas: Nam mutato calore & frigore, aut humore & siccitate mutantur colores, & sapores, & odores, & aliæ omnes qualitates secundæ. Solę ergo qualitates primæ fieri possunt propria alteratione. Præterea fieret eodem argumento, vt neq; ad magnitudinem esset motus perse, quia magnitudo succedit aliis motis, quod tamen Aristo. lib. 5. affirmat Præterea omne quod est per accidens reducitur ad aliquid quod est perse, si ergo sanitas compararetur per accidens (idem argumentum est de omnibus habitibus, quin & deformis & de figuris) aliquid aliud compararetur perse cùm corpus sanescit, velut calor perse, si corpus ægrotabat prę frigore, & sanitas per accidēs. Sed sanatio propter sanitatem est perse, propter calorem per accidēs (expetitur enim calor gratia sanitatis, non sanitas gratia caloris) igitur ad habitum aut dispositionem est motus per se, ad patibilem qualitatem per accidens. Quidam putant iram & gaudium esse alterationes per se, quia putāt ad totum illud tertium qualitatis genus esse perse alterationem. Tamen constat satis primo argumento non esse reuera alterationes perse ad eas passiones. Atqui profectò ipsi se decipiunt Aristo. enim non dixit passionum & patibiliū qualitatum esse alterationem, sed quod alteratur alterari à sensibilibus, & in solis his alterationem dici, in solis scilicet qualita- *Respōdetur.*

tibus sensibilibus. Atque ideo intelligi debet non in vtcũque sensibilibus, sed in sensibilibus propriis. Nam sensibilia communia sunt in aliis generibus qualitatum, aut etiam in aliis cathegoriis. Sola itaque sensibilia propria comparantur de Aristotel. sententia alteratione perse. Dicimus autẽ hoc loco perse comparari alteratione (velut antea quæstione.29.monuimus) non id cuius gratia præcipue suscepta est alteratio sed in quod primo alteratio finitur, & cui reliqua succedunt, quare etsi calefactio refrigerati, & à natura, & à medico sanitatis gratia agatur perse, & caloris gratia & per accidens, tamen quia primo finitur in calorem, sanitas autem succedit, alteratio ad calorem per se primo est, non ad sanitatẽ. Itaque hîc perse idẽ est, quod perse & primo. Quare ei contrariũ est non quod propter aliud, sed quod alii succedit, velut sanitas succedit calori. Non ita tamen succedit color, & odor, & sapor calefactioni vt sanitas, quia hæ qualitates non succedunt eisdem motibus, quibus primæ qualitates fiunt, sed propriis motibus indigent vt fiãt habitus autem sine propiis motibus succedunt. Non enim cum refrigeratus sane sunt, est in primis calefactio, deinde sanatio, sed ipsa calefactione homo fit sanus, non ita tamen fit calefactione niger, sed calefactioni succedit denigratio, qui motus proprius est ad nigritiem. Ita autem hoc habere constat, quia etsi homo fiat calidior, si Deus tollat denigrationem, poterit non fieri niger. Tamen si homo qui solo frigore ægrotabat caluerit, non poterit Deus (salua hominis natura) facere, quo minus sanatus sit, quia scilicet idem est esse solutum frigus, & esse sanatum. Durities & molities quadam ratione sunt naturalis potentia & impotentia alia tangibiles qualitates, quà tangibiles, comparantur alteratione propria, quà potentia & impotentia succedunt ei alterationi, quà priori ratione comparantur. Nihil autem mirum, easdem qualitates diuersis rationibus ad varias specias pertinere, & vna ratione habere alterationem perse, alia per accidens. Nam & calor quà calor, est patibilis qualitas, & comparatur calefactione perse, quà inmoderatus, est febris, & dispositio præternaturam, & succedit ei alterationi, quà vt patibilis qualitas gignitur. Obiectioni de magnitudine non esse

Ad quæ sit motus per se definitur.

quod responderi possit quæstione.29.indicauimus. Proinde illic statuimus ad magnitudinem non esse motum perse. Hic illud vnum diximus, ad solas patibiles qualitates esse perse alterationem.

An omne quod mouetur moueatur ab alio. 42

Videtur necessario fieri, vt omne quod mouetur ab alio moueatur. Quod q̃dem Arist. contendit monstrare. 7. & 8. libris de Physica doctrina.) Nã aliter fieret vt aliquid esset simul in actu & potentia: quia quiduis mouet quà est in actu, & mouetur quà est in potentia. Deinde, quia si quæ essent quæ mouerentur à seipsis primò, maximè animalia, in his autem apertè videmus, partes alias moueri ab aliis, vt à musculis ossa: ergo nõ mouetur totum animal à seipso, quare neq; quidquam aliud. Deinde, non videtur sublato hoc principio, superesse aliqua idonea ratio, qua inuestigari possit prima causa. Aristot. certè sententia est, nihil moueri à seipso primo, non tamen proinde omne quod mouetur moueri ab alio, animalia enim mouerẽ se ipsa, sed quia nõ mouentur seipsis primo, sed partes à partib⁹, moueri hæc ab aliquo, quãcunq; scilicet partem ab alia, & omnes totumq; à toto, etsi non primo, inanimata verò omnia non tantũ nõ moueri à seipsis primo, sed etiã moueri semper ab alio, & à causa externa, quę violenter quidẽ agũtur à causa violentiã inferente (ea aũt semper est externa) qæ naturaliter, vt grauia deorsum, & leuia sursum à generãte, non quidẽ vt ego existimo à generãte singulari (nã nõ possum mihi persuadere id venisse in mẽtę Arist.) sed ab vniuersali, seu à sup̃nis causis. Hoc aũt putat probabilius, quia moueri p̃ sese videtur esse propriũ animatorũ. Deinde quia si grauia & leuia perse mouerentur, possent sistere suum motũ, & possent capere impetũ in cõtraria, hæc cũ non possint, & inanimata sint, videtur necessario fieri vt moueãtur ab externa aliqua causa. Nihilominus mihi videtur verissima ea sentẽtia, q̃ sequutus est Scotus.2.sent.2.q. 10. oĩa quę mouẽtur naturaliter, moueri à seipsis, quę verò pręternaturã moueri ab aliis: itaq; ignẽ sursum, aquã deorsum perse se ferri. Nam Aristo. quamtumuis laborauit,

Enarratio.

Scotus.

uit, quærere causas externas illorum motuum, non alias inuenit, quam id quod remouet impedimenta, & causam quæ genuit. Quæ remouet impedimenta est causa per accidens, quare ea non est satis, sed opus est quærere aliam per se. Causa singularis quæ genuit non sit quæ mouet, quia ea plerunque est iam corrupta, aut si corrupta non est, tamen perraro tangit. Quod si iam non est, nulla ratione potest esse in actu vt moueat, quia primus actus cuique rei, est suum esse cum sua forma, sine primo autem nullus posterior actus esse possit. Sed neque causis vniuersalibus imputantur merito illi motus: quia vniuersalis causa nō operatur sine causa singulari eiusdem generis, in iis quæ non per accidens aguntur: leuia autem non per accidēs ascēdunt, neque grauia descendunt, ergo præter causas vniuersales (has enim non nego iuuare ad eos motus) oportet esse singulares: quæ cum nō sint, quæ genuerunt, neq; aliquæ aliæ externæ, fuerint ipsæ grauium & lauium naturæ, & formæ, principia & causæ, eorum motuum, moueanturque ea corpora à seipsis. Præterea quia si causæ vniuersales solæ, ac multo magis si generatrices singulares mouerēt ea corpora (hoc argumentum est, Scoti) non esset cur naturales eorum motus essent celeriores in fine quàm in principio, cur enim? Num causa quæ genuit, maiorem impetum apponeret tunc quàm antea? Certè Arist. ipse non raro coactus vi veritatis videbatur in hanc ipsam sententiam inclinare. Nam capit. 4. lib. 8. quo loco maximè probat omnia moueri ab alio, inter cætera hęc scripsit. Cùm enim sit aqua, quodammodo est leuis, & cùm est aër adhuc potentia, potest enim impeditum non supra esse, sed cum aufertur id quod impedit, operatur, & semper superius fit. Quibus verbis apertè videtur significari grauia & leuia ire in sua loca impedimentis amotis, quin & lib. 4. cap. 9. dicit graue & leue esse coniuncta cum raro & denso, atque rarum & densum, & leue & graue, esse agentia lationis, durum & molle passionis. Videtur ergo Arist. docere leue & graue esse causas effectrices lationis. Multa alia argumenta scripsi quæstione. 11. in hanc ipsam sententiam: proinde nunc argumenta Arist. tantum diluam.

Dillutio argumentorum. In primis necesse est vt omne quod mouet, moueat secundum id quod actu habet. Nam eam vim, qua mouet, necesse est actu ei inesse, non tamen opus est, vt quod mouet sit actu illud, quod res quæ mouetur est potentia. Nam multa sunt quæ sursum mouent, & non sunt supra: mouent autem ea vi, quam actu habent. Ita grauia mouent sese per eam naturam & vim, quā actu habent, mouentur autem secundum potentiam, qua possunt in suo loco esse. Itaque sunt in actu & potentia simul, sed non secundum eandem formam; secundum diuersas autē nihil mirum: nam aqua calida actu est aqua, potentia frigida. Animalia mouentur à seipsis, non quidē quæuis pars à se ipsa sed partes à partibus, tamen cum non possit esse processus infinitus per ipsas partes, necesse est aut partes aliquas moueai à seipsis mutuo, velut à. a. b. & b. ab. a. aut peruenire ad aliquam primò mouentem, quæ aut seipsam moueat, aut moueatur ab aliquo externo. Si autem pars quæ primo mouet, & à qua aliæ mouentur mouetur ab aliquo externo: certè animalia non mouentur à se sed ab alio vt inanimata, mouenturque non voluntate aut appetitu proprio, sed vt res aliqua externa ea mouebit. Hoc autem falsum est, nam etsi Aristo. probat motum etiam animalium incipere ab aliquo externo, non tamen id dicit, quod latio animalis incipiat agi ab externa causa, sed quòd pars quæ primo mouet, siue ea sit cor, siue cerebrū, antequam seipsam & alias loco moueat, mouetur alia motus specie ab aliqua re externa, velut ab speciebus rei iocūdæ quam prosequitur, aut rei terribilis, quam fugit. (Atqui vt hac ratione procedatur ad inuestigationem primę causæ hoc est satis) tamen non proinde faciunt externæ aliquę causæ lationem animalium: Supersunt ergo duo alia, esse partem quæ moueatur à se, aut moueri partes aliquas à seipsis mutuò: Vtrum vis autem concedatur, fit vt aliquid moueat seipsum, quare non omne quod mouetur moueatur ab alio. Nam si pars primo mouens mouet seipsam, illa quidem non mouetur ab alio, si autem. a. mouet. b. & b. mouet. a. a. mouet seipsam primo: Velut si homo mouet baculum & baculus lapidem, homo mouet lapidē primo: ergo ita quoque fit vt aliquid moueat seipsum. Obiiciebatur sublatis his principiis, Omne quod mouetur ab alio moueri, & Omne quod mouet moueri, præter primum

primum mouens, nullam rationem super esse qua inuestigetur prima causa. Respondetur in primis me non tollere ea principia, nam etsi dico grauia moueri à seipsis, non tamen à se solis, sed simul à causis superioribus. Atqui omne quod mouet mouetur ab alia causa, non quidem Physicè semper, sed recipit ab alia superiori causa virtutem, estque hic ordo causarum vsq; ad primam. Accedit quod præter hoc sunt alia argumenta, quibus esse aliquam causam omnium primam indicatur. Aliud argumentum quod de in animatis corporibus additur, dilluitur omnium facillimè, non enim si grauia & leuia mouentur à seipsis, statim sint animata, animata enim mouentur appetitu quò volũt, inanimata naturaliter in eam solum partem, in quam fert natura. Proinde neque sedare possunt suum motum, antequàm ad naturalem locum venerint, neque impetum habent in contrarium, quia impetus naturalis vnus est in re quacunque. Sed de hac quæstione partim hic, partim antea disputatum satis est.

43 Qui motus sint comparabiles, & qui secus.

CAp. 4. lib. 7. de physica doctrina docet Arist. eos tantum motus comparabiles esse secundum celeritatem & tarditatem, qui sunt eiusdem speciei vltimæ, proinde lationem cum alteratione conferri non posse, neque lationem rectam cum circulari, neque in alterationibus eas quæ specie diuersę sunt, velut sanationem & refrigerationem & dealbationem. *Obiectiones,* Videntur tamen hæ assertiones magna ex parte falsę. Nam omnia sunt comparabilia secundum formam aliquam, quæ loquentes proprie possumus dicere ea forma magis participare, alia aliis. Velut nuuc motus omnes erunt secundum velocitatem comparabiles, quorum alius alio dici potest celerior aut tardior constat verò celeriorem esse motum solis motu muscę serpẽtis per lãceam, etsi sol circulo musca rectà mouea tur. Sed vt Aristot. ipse probat motus eos esse incomparabiles secũdum celeritatem, quòd linea recta & curua sint incomparabiles secundum magnitudinem, quod etiã constat esse falsum, quia non diceretur proprie arcus esse maior chorda, & linea recta esse omnium minima, quod tamen in mõstrationibus mathematicis passim accipitur. Deinde & calefactio videtur posse esse magis aut minus, aut æque velox, ac dealbatio. Nam poterit aliquid eodem tempore tantum, aut plus, aut minus calefieri, quantum de albari, siue illud quantum accipiatur secundum magnitudinem corporis quod alteretur, siue secundum gradus ipsius affectionis. Nam poterit tanta corporis pars, tot gradus candoris recipere, quot caloris. *Enarratio.* Quidam respondent non esse comparabilem circuitionem motui recto, neque lineam curuam rectæ, quia non potest certò sciri proportio inter hæc, velut diameter est incommẽsurabilis costis, etsi costis est maior, quia nõ potest sciri ea proportio qua est maior. Vt non possit autem sciri ea proportio inter lineam rectam & curuam causam esse dicunt, quia nõ potest aliqua earum pars, eadem esse, qua ambæ mensuretur. Nulla enim recta pars potest admoueri curuę, neque curua rectæ. Sed hi falluntur, putantes idem esse incõparabile & incommensurabile. Nam si idẽ est profecto diameter non sit comparabilis costæ: quare non omnia quæ sunt in eadem specie vltima comparabilia erunt, nã diameter & costa ambæ sunt lineæ rectæ: non ergo est idem, sed vt sint commensurabilia aliqua, opus est vt sciri possit certa illorum ratio & proportio, vt verò sint comparabilia, non est opus, sed vt possit alterum cum altero conferri secundum illã rationem, dicique magis aut minus tale. Hoc autem esse res esse comparabiles, cõstat ex verbis Arist. ita enim dicit, quæcũque non æquiuoca, omnia comparabilia, velut cur comparabile non est, vtrum acutius, stillus, an vinũ, an nete? Quòd enim æquiuoca non comparabilia igitur Aristo. probat vinum stillum & netem non esse res secundum acutum comparabiles, quia non potest dici alterum altero magis aut minus, neque ęque acutum. Si enim posset aliquis proprie vtẽs nominibus, interrogare vtrum acutius, aut possemus interroganti, respondere hoc aut illud acutius, etsi non diceremus exactè quanto acutius, essent profecto comparabilia. Fallũtur ergo in primis qui putãt, satis indicatum esse lineas rectam & curuam non esse comparabiles, si nõ possit esse certa illorum proportio

portio. Sed neque hoc quidem rectè defendunt, neque possunt fortasse. Nam omne maius diuiditur in min⁹ & in excessum vt Arist. ipse dicit si ergo circul⁹ est maior diametro, habet in sese partē æqualē diametro, & præterea excessum, ea verò pars quæ erit æqualis etsi geometris cognita nō sit, erit tamen per se & Deo cognita: quare erit re vera aliqua linea curua alicui rectæ æqualis, atque per se quidem cognoscibilis erit, & si ob differentiā figuræ sit incognita nobis, qui nescimus aliter commensurare, quam per aliquam mensuram communem. Sed re vera non magis sunt incommensurabiles lineæ diuersarum figurarū, quam areæ, tamen figuræ curuę lineæ recti lineam æqualem dari primo libro de Physica doctrina argumento cuiusdam Hypochratis docuimus. Ergo re vera & per se est linea curua rectæ æqualis & maior & minor. Proinde destituti hac responsione cōfugiunt ad aliam, dicentes, etsi linea curua lineæ rectæ æqualis sit, tamē motus per eas lineas non futuros æquo veloces, quia tardius itur per vias reflexas aut angulatas, quam per rectas. Sed hoc multò deterius dicitur. Nam rogo an omnis mot⁹ per viā curuam sit tardior quam per rectam, aut aliquis aliquo sit tardior, aliquo celerior. Si omnis omni est tardior, fit vt motus cœli sit tardior motu testudinis, sin autem aliqua circuitio aliqua recta latione est celerior & aliqua tardior, esse posit & aliqua æqualis. Quod si cum eadem vi mouentis causæ, & pōdere corporis quod mouetur, tardior sit motus per curuam ob conuersionem, tamen potest poni esse tanto maior vis mouentis, aut tanto minus ponderis, quanto difficilius erit per curuam ferri. Accedit quòd qui ita respondit, imaginabatur animal aliquod vt ęquum per rectā aut curuam viā moueri, huiusmodi enim corpora progrediendo moueri nata sunt, circumferuntur autem difficile, quæ verò rotunda sunt corpora facilius mouētur circulo quam recta, igitur corpus rotundum eadem vi ęquali celeritate feretur per curuam, qua animal aliquod per rectam. Hæc ergo omnia sunt externa, & fugæ magis argumentorum, quàm vera enarratio. Proinde ego ita statuo. Nihil prohibet motus diuersos specie esse secundum celeritatem cōparabiles, quod ita mōstrari potest. Si qua ratione non possent comparari, maximè

Decisio.

quia comparatio omnis debet fieri secundum vltimam & atomam speciem, (nam hanc causam reddit Aristo. estque verissima, & ponatur) tamen non oportet in specie atoma esse ea quæ comparantur, sed id secundum quod comparatio fit. Nam homo & æquus comparantur secundum candorem, quia etsi homo & ęquus specie differunt, candor tamen amborum eiusdem speciei est: celeritas autem non est motus ipse, sed passio quædam motus: etsi ergo motus specie differant si eorum celeritas eiusdem rationis est, posint secundum celeritatem comparari. Hoc verò quod tam euidenti ratione asseritur, constare potest exemplis longè euidentioribus. Lationes speciei differentiam non solum accipiunt ab eo in quo aguntur, vt à via recta aut curua, sed multo magis ab eo in quod itur: ergo motus sursum, & deorsum non sunt eiusdem speciei sed cōtrarii, potest autem aliquid eadem celeritate aut etiam dupla aut tripla, aut quamcūque aliam rationem habente, ascendere & descendere. Præterea alterationes non aliunde accipiunt differentiam speciei, quàm ex speciebus formarum quæ comparantur: calefactio ergo & refrigeratio non sunt eiusdem speciei, sed contrarii motus, quia calor & frigus contrariæ passiones sunt: Tamen non dubium est, posse aliqua eadem celeritate refrigerari, quà caluerint, & dupla, & tripla, & quamcunque aliam rationem habente. Nam si aqua quæ vna hora calefacta est, alia hora ad idem frigus redit, eodem tempore alterata est ęquale, quare celeritate ęquali, si autem dimidiata hora, celeritate dupla, si tertia horę parte tripla. Ergo haud dubię, possunt & lationes & alterationes specie diuersę, secundum celeritatem comparari. Sed si ita est cur non possunt latio & alteratio comparari? Nemo enim interroget, vtrum moueatur celerius, lignum quod calescit, an quod fertur? An quia in latione & alteratione non est eiusdem rationis celeritas, in his autem motibus quos comparari posse diximus, est eiusdem speciei: ergo quò constet qui motus sint comparabiles, & qui secus, oportet vt explicemus, non qui motus sint eiusdem rationis, sed quorum motuum celeritas eiusdem rationis sit, & vniuoce dicatur. Constat autē eas celeritates esse eiusdem speciei & vniuocè dici, in quarū diffinitione nullæ par-

In quib⁹ motibus sit celeritas eiusdē rōis.

ticulæ

ticulæ sunt, quæ non vniuocè & secundum eandem rationem dicantur. Nam si species in diffinitione est, & differentia speciei in diffinitionibus sit. Quæ est ergo diffinitio æqualis & inæqualis celeritatis? Certè eadem celeritate mouentur, quæ æquali tempore æquale pertranseunt, in æquali, quæ æquali tempore pertranseunt inæquale, maius aut minus. Tempus quidem vnum est, ab illo non possunt capi differentiæ. Æquale autem & inæquale, maius & minus, è longitudinibus omnibus dicuntur vniuocè, & secundum speciem vltimam. Nam linea nomen est speciei vltimæ. Ergo meritò motus, à medio & ad medium, per lineam rectam, dicuntur æquè celeres, cum per æquale spatium æquali tempore aguntur, & alius celerior alius tardior, vt tempus aut spatium sunt maiora aut minora. Nam vniuocè ac propriè est æquale spatium quoddam à medio versus cœlum, ali à cœlo versus medium, & aliud maius & aliud minus. Meritò etiã motus à calido in frigidum comparabilis est motui contrario à frigido in calidum, etsi motus specie diuersi sint, quia amborum est celeritas specie eadem. Nam maius & minus, & æquale eadem ratione & vniuocè dicuntur de calore & frigore: qua ratione, scilicet, dicuntur de qualitatibus intensionem & remissionẽ recipientibus. In omnibus enim talibus secundum eandem rationem accidit magis & minus, siue secundum multitudinem graduum, siue secundum radicationem in subiecto, siue secundum aliquid aliud. Tamen latio alteratione neque celerior neque tardior est, neque omninò sunt tales motus secundum celeritatem comparabiles, quia ea secundum quæ aguntur, non sunt secũdum magnitudinem comparabilia. Nam magnum & paruum non dicitur de illis vniuocè, sed de quantitate dicitur propriè, de qualitate impropriè & analogia. Proinde nemo interroget vtrum sit maius frigus niuis, an spatiũ quod interest inter nos & indos. Neque si quis interroget responderi potest, magis quàm si interroget, vtrum sit acutius gladius, an vox, an vinum. Sed de latione per circulum & per rectam est peculiaris dubitatio. Nam Arist. apertè dicit non esse comparabiles. Videtur verò apertè fieri argumentis quæ proposita sunt, vt possint comparari. Nam magnum & paruum de linea recta & curua vniuocè dicitur, & secundum eandem rationem. Nam linea in cathegoria quanti, secundum quã æquale aut inæquale dicitur, species atoma est, differentiæ autem curuæ & rectæ sunt secundum figuram quæ lineæ accidit, figura verò est qualitas secundum quam non potest dici æquale aut inæquale. Ergo in cathegoria quanti eiusdem speciei est linea recta & curua, vt quantæ ergo, comparabiles sunt secundum maius aut minus: ergo & motus qui per eas fiunt secundum celerius & tardius. Sed sciri hîc oportet in motu, qui agitur per circulum, duplicem celeritatem esse, aliam circuitionis aliam motus. Potest enim res aliqua citius circuire & tardius moueri, & celerius moueri & tardius circuire. Velut quod mouetur per circulum quadruplo maiorẽ, quàm aliud, celeritate duplo maiori, duplo celerius mouetur, & duplo tardius circuit: quia dũ aliud feretur per totum circulum minorẽ, aliud feretur per dimidiatum maiorem: tamen dimidium maioris erit duplo longius toto minori. Celeritas circuitionis non est comparabilis cum celeritate lationis per rectam, non enim rectè interroges quæ celeritas sit maior qua equus currit, an quã sol circuit. Nam celeriter circuire, est breui magnos angulos describere cum puncto medio celeriter moueri, breui longã viam percurrere. Tamen magnum & paruum non secundum eandem rationem dicitur de angulis & de via, neque percurrere & describere eadem res est. Ergo tales celeritates neque eiusdem speciei sunt, neque vniuocè dicuntur. Tamen celeritas motionis per lineam curuam, & celeritas motionis per rectam conferri possunt. Nam magnitudo eadem specie inest vtrisque lineis, quod enim diuersum est ad figuram pertinet. Ergo quod ad hanc quæstionem attinet, ita habet. Fortasse Aristot. cum dixit lationem per curuam non posse conferri cum latione per rectam secundum velocitatem, intellexit de velocitate circuitionis. Atque cùm statuit motiones nullas specie diuersas esse cõparabiles, fortasse intellexit motiones, quarum celeritates specie diuersæ sint, & non vniuocè dicantur. An illius verba ferant hanc enarrationem, non est huius loci altercari, consule illius librum, & mea commentaria. Hic de re ipsa instituta est controuersia.

Duplex celeritas lationis circularis.

De

44 De causis maioris & minoris celeritatis.

ARist.cap.vltimo lib.7. de physica doctrina, docet motionem quamcunq; tanto esse velociorem, quãto id quod mouetur resistit minus, si causa mouens est eadem aut æqualis, aut quanto virtus mouens est maior, si quod resistit est idem aut æquale. Atqui æquale ab æquali, siue maius siue minus sit, æquali celeritatę moueri, quia causa maioris celeritatis est in maiori virtute, aut minori resistentia. Nihilominus sophistę argumentis calculatoriis hãc doctrinam tam perspicuam obscurauerunt, statuẽtes multas assertiones aduersus Aristot. qui tamen haud scio an alicubi certiora docuerit. Illi statuunt hanc assertionem quam ipsi sibi imperant asserere, proportionem celeritatum nasci ex proportione proportionum actiuitatũ ad resistentias. Hoc est, cum duo motus agũtur, tanto celeritatem vnius esse maiorem celeritate alterius, quanto proportio mouentis ad id quod mouetur in vno, est maior proportione in alio, quia ex hac proportione nascitur celeritas, quare & tanto maior celeritas, quanto proportio erit maior. Deinde indicant hanc suam regulam non exactè neque in omnibus proportionibus respondere regulis Aristotelis. Proinde aduersus eum statuunt, non esse celeritatem celeritate tanto maiorem, quanto resistentia est minor, etsi vis mouens sit eadem, neque quanto vis mouens sit maior, etsi resistentia sit eadem. Quia dicunt, non semper esse exactè tanto maiorem proportionem proportione actiuitatum ad resistentias: sed in duplis tantum proportionibus, dicunt eodem modo respondere, non autẽ in aliis proportionibus. Ego nollo hoc loco altercari, an hæ regulæ semper eodem modo respondeant, an non vnquã aliter, quia oporteret huc trahi totam Geometriam (est verò sophystis antiquum omnia perturbare, Geometrica Physicis & Physica Geometricis admiscere) sed si non respondent apte certiores esse puto regulas Arist. regula sophystarum. Nam hãc habẽt monstrationẽ. Virtus ad actionẽ dicitur, & ꝓ mõ virtutis est actio, ęqualis virtutis ęqualis actio est, & duplo maioris dupla maior. Æqualis aũt actio est (quia ęqualis operę & difficultatis) mouere dimidiũ dupla celeritate, atque totum aliquod celeritate subdupla. Ergo eadem facultas poterit vtrumq; porrò mouere aliquid duplo velociter duplo maioris operæ & difficultatis est, ergo duplo maior virtus id faciet. Igitur crescit celeritas vt decrescit resistentia manente eadẽ vi, aut vt crescit vis manente eadem resistencia, quidquid dicant Sotus, Paulus Venetus, & Hentisber.

Sed occurrunt quædam obiectiones Physicę (Geometria enim tractentur in Geometricis) fieret ex dictis vt Deus nihil posset mouere, nisi celeritate infinita. *Obiectio* Quandoquidem monstratum mihi est. 8. lib. de phy. doct. in commentariis, eum esse virtutis infinitæ, atq; in hoc ipso opere rursum monstrabitur, & ponatur. Si ergo eius vis est infinita, omnem vim finitam infinito excessu superabit mouebit ergo lapidem, si per seipsum eum mouere vellit, celeritate maiori omni finita, quare in nullo tempore, hoc autem repugnantiam cõtinet, non ergo semper est motus celeritas tanto maior quanto vis mouens, etsi id quod mouetur sit idem. *Respõdetur.* Certè nisi Deus esset causa libera nulla celeritate finita mouere posset, quoniam autẽ est libera, apponit vim quã vult, & mouet qua vult celeritate. Regula autem Aristotel. intelligi debet non de vi quam res habet, sed de ea quam apponit.

Sed est alia obiectio, fieret ex dictis, vt si ego lapidem possum proiicere tot passus tãta celeritate, frustulum ligni possem duplo longius pellere, aut duplo celerius, euenit autem contra. *Obiectio* Sed sciri oportet, non esse eandem rationem proiectionis & aliorum motuũ. *Respondetur.* Vectio enim & tractio atque adeò pulsio quæ agitur expresſione, tanto celerius & facilius agitur ab eadem vi, quanto id quod mouetur est tenuius & leuius, tamen proiectio & impulsio omnis vt facilè agatur desiderat neque tenuitatem neque crassitiem nimiam, sed in hoc mediocritatem quandam. Nam quæ crassa admodum sunt, resistunt plus satis, quæ tenuia non concipiunt impetum, quẽ causa proiiciens præstat, & proinde mox euertũtur vel occursu aëris. Proiectio ergo non est tanto celerior facultate existente eadem, quanto id quod proiicitur est leuius, sed quanto facilius proiectu. Facilitas autem proiectionis ex mediocritate substantiæ, & ex figura. Quin & in aliis etiam motibus satis

sit ita

et ita dicere, tanto quidque celerius moueri ab eadem vi, quanto est motu facilius. Nam & ad alios motus facit præter pōdus & leuitatem figura apta aut inepta. Velut de rotundis, atque omni ex parte æqualibus, atque de corporibus varia figura præditis, cuiusmodi sunt animalia, proxima quæstione diximus. Sed est alia obiectio his difficilior. Si cùm id quod mouetur est idem, tanto celerior est motus, quanto vis mouens est maior, fit vt si A. mouet B. tempore G. dimidium A. moueat B. tempore duplo maiori quam G. ergo si totus medimnus tritici cadens ex alto tantum sonitum ędit, quodcunque granum per se cadens, ędat sonitum tāto minorem, quāto minus graue est granum quam totus medimnus. Tamen non ita euenit. Argumentum hoc fuit Zenonis, cui respondet Aristot. non fieri, si facultas aliqua aliquid tantùm mouet, vt duplo minor moueat duplo minus aut tardius, quia fortasse nō mouebit. Quia scilicet non valet argumētum, si maior virtus potest hoc mouere, & minor poterit (interpretantur omnes fere.) Nam virtus quarti gradus mouet pondus trium graduum, tamen virtus duorū illud idem pondus non moueret omnino. Quia à proportione æqualitatis, aut minoris inæqualitatis, non fit actio. Sed si hæc receptissima assertio vera esset, haud quaquā posset esse inter res aliquas mutua actio & passio, quam vocant reactionem, tamen Aristot. ipse, vt cap. 5. primi lib. controuersiarum medicarum indicauimus, dicit, omne quod in aliud agit, siue loco pellit, siue secundum qualitatem mutat, infra primam causam, pati etiam aliquid ab eo, in quod agit. Sed si omne quod mouet plus potest quam quod mouetur, non possint aliqua mouere sese mutuo, nisi idem eodem possit esse fortius simul & debilius. Vt capit. citato ex controuersiis diximus, plerique hæc ita cōponunt, non esse in re quacunque eandem vim resistendi & agēdi, sed res alia vi agere, alia resistere, posseque has vires esse aliam alia maiorem, celeritatem autē nasci ex proportione actionis ad resistentiam: posse ergo rem debiliorem agere in fortiorem, si fortior habeat minorem vim resistendi quam debilior agendi. Cæterum vt illo loco indicauimus, quò omne quod agit patiatur, non est satis posse vim resistendi esse minorem vi agendi, sed oportet vt omnis vis resistendi minor esset omni vi agendi, id verò non potest fieri nisi resistentia sit minor omni virtute finita, quia quacunque virtute agendi potest esse alia minor, quę ergo omni virtute agēdi sit minor, erit infinitæ exiguitatis, quare omninò non erit. Ergo vis resistendi non est alia à virtute agendi, sed res quæuis repugnādo resistit. Agit ergo quod resistit, quare & quod agit patitur, & potest debilius repugnare fortiori. Quia quod vincit non tn̄ excessu infinito, aliquatenus etiā vincitur, quatenus scilicet minus vincit quam aliud, quia omne quod dicitur secundùm minus habet admistionem contrarii. Igitur omne quod vincit excessu finito vincitur aliquatenus, & eatenus patitur. Nō posse autem moueri æquale ab ęquali, aut fortius à debiliori, non concedimus. Atque hac ipsa ratione non concedimus celeritatum proportionem nasci ex proportionum proportione actiuitatum ad resistentias, vt dicunt clasici, sed ex proportione actionum ad actiones, & resistētiæ ad resistentiam, vt dicit Aristot. Nam quacunque proportione maioris inęqualitatis potest esse alia proportio maioris inæqualitatis minor, ergo quocunque motu, qui fieret ab agente potētiori, posset dari alius tardior qui etiam fieret ab agente potentiori. Motus ergo qui fieret ab agente æquali aut minori, fieret tarditate maiori omni finita, quare infinita. At verò nullus motus potest fieri tarditate infinita, fieret ergo vt nihil posset moueri ab æquali aut minori, quare non posset esse reactio. At verò iusta regulas Aristotel. potest moueri æquale ab æquali & maius à minori. Quia Arist. illud vnum dicit, si quod mouetur est idem, quanto id quod mouet est maius, tanto motum esse celeriorem, atque si quod mouet est idem, quanto id quod mouetur est maius, tanto motum esse tardiorem. Sed si hæc dicimus redit argumētum Zenonis, & corruit solutio Aristotelis. Certè Aristotel. nō negat modo posse maius moueri à minori, sed negat valere hāc consequutionem, si A. mouet B. in tempore C. & duplum A. potest mouere B. in dimidiato C. dimidiatum A. mouebit B. in duplo C. consecutio certè non valet, quia non opus est vt si maius potest mouere, possit & minus. Et Aristotel. nihil aliud voluit, quam negare consequutionē

tionem, quia hoc visum est satis ad dilluendum argumentum. Tamen potest argumẽtum, si rẽ magis vellimus explicare, aliter dilluĩ. Non necesse est si totus medimnus sonat, vt granũ sonet, nã sonus non agitur quocunq; motu aëris, sed tanto, non est autem necesse si totus medimnus tantum in aëre ciet motum vt sonet, granum etiam tantum ciere vt sonet. Velut si decem homines possunt mouere nauem, non opus est vt vnus posit, nam etsi posit vnus homo aliquaten⁹ aut insensibiliter mouere, aut tardare nauem, quia nõ est inter nauẽ & hominem proportio infinita, tamen nõ est necesse vt posit motum sensibilem nauis facere. Quare mihi non videtur negandum, si virtus aliqua rem aliquam potest mouere, & dimidiatam virtutem eandem posse aliquatenus mouere, sed negandum, posse necessario motum aliquem tantum facere, vt quo fiat sonitus, aut quo sentiatur moueri nauis. Sed de reactiõe dicto loco sunt dicta multa, & in libris de ortu & interitu dicentur plura. Nunc illud vnum dicimus, nõ posse ab æquali aut minori vinci omninò quod equale aut mai⁹, tñ posse moueri aliquatenus, atque proportionem celeritatum nasci, nõ ex proportione proportionum actiuitatum ad resistentias, vt vulgo dicunt, sed ex proportione virtutis effectricis ad virtutem, & resistentiæ ad resistentiam, Positis his regulis Aristoteleis, cui vacat, supputet quantum lubet & colligat quot volet corollaria.

45 An posit mundus esse factus ab æterno.

ARist. Multis argumentis monstrare nititur, mundum ab æterno esse, & nullum habuisse principium temporis, cui sententiæ plurimi alii Philosophi subscripserunt, his argumentis. Ex nihilo nihil fieri potest: Si autem res aliquando essent factæ, cum non fuissent prius, factæ essent ex nihilo. Præterea non potest esse pars prima mot⁹ quia vt indicabitur mox questione proxima, nõ potest incipere motus per primum instans quo sit, si tñ fuisset initiũ rerum, fuisset initium & pars prima temporis & motus. Deinde omne nunc coniungit partes temporis præteritas cum futuris, ergo ante omne nunc fuit tempus, nunquàm ergo incœpit. Præterea antequã sit motus, necesse est esse mobile & motiuum, quia motus est actus entis in potentia. Ergo antequam esset motus primus, si quis fuisset primus, fuissent mobilia & motiua, aut ergo illa fuissent proxima aut remota alia ab aliis: si proxima mouissent antea; quare non esset hìc primus motus, si remota, oportet vt antequàm hìc motus inciperet, accesissent: quare ita quoque fuisset alius motus prior, eo qui ponebatur esse primus. Non ergo potuit esse initium omnis motus. Præterea (dicunt) si Deus aliquando fecisset res, quas non antea faceret, oporteret ante id tempus fuisse otiosum, aut dormisse, & tunc mutationem aliquam subiisse. Nam aliquam ob causam cœpisset tunc velle facere, quæ antea nolluisset: atque hoc ipsum, nolluisse antea, & tunc velle, mutatio quædam esse videtur. Cùm ergo Deus non posit esse otiosus, neque dormiens, neque mutari, constare videtur, ab æterno fecisse mundum hunc. Cæterum monstratum est nobis antea quæstione. 11. necessario esse causam aliquam, quæ non teneatur lege causæ necessariæ, & quæ sine materia præexistenti posit aliquid facere, eamque esse causam primam: quod si ita est, cum prima causa posit facere ex nihilo, constat eam potuisse omnia facere etsi antea non fuissent. *Decisio.* Nisi fortè alia quæ in obiectionibus dicebantur impedimento sunt. *Dillutio obiectionum.* Sed certè non sunt, nam leuisimæ sunt obiectiones, quia etsi res omnes permanentes, vt cœlum & terra, & quæ in eis sunt, inceperint aliquando esse per primum instans quo essent, tamen non proinde fuerit pars prima motus, neque temporis. Nam illud primum instans rerum permanentium, fuerit vltimum instans quo non essent tempus & motus: in illo enim non essent (quia in instanti neque tempus neque motus esse potest) sed semper, post illud fuissent. Iam verò quod dicitur, omne nunc coniungere tempora, est petitio principii: verum enim est si tempus nunquam incœpit, nõ autem si incœpit. Quia primum instans quo fuit cœlum, nullas temporis partes coniunxit. Iam verò quod dicitur, ante omnem motũ esse mobile & motiuum, si tẽpore intelligatur falsum est) potest enim aliquid sta-

tim ac sit moueri, & statim ac sit mouere.) Si autem intelligatur naturà, est ita. Nimirum res prius est mobilis quã moueatur, & prius motiua quàm moueat, quia potentia prior est natura quam actus. Porrò quod rogant, quid fecerit Deus prius quã faceret res, & cur nunc faciat quæ antea non fecerit stulta interrogatio est. Nam si Deus est prima causa, nullam causam habet extra se, & ipse sibi sufficit: ergo nullis rebus indiguit antequam essent, neque indiget modo, fecit autem cum fecit, quia voluit. Causa enim non potest esse extra illum: in illo autem quæ sit nisi eius voluntas? Neque verò proinde mutatum esse in commentariis diximus capit. 5. libr. 8. quia non cœpit velle cum fecit, sed ab æterno vult facere, vt & cum fecit. Itaque consentaneum est philosophiæ, quin etiam euidenti ratione monstratur, posse mundum hunc habuisse initium, sunt quæ argumenta, contra putantium, leuissima. An verò etiam potuerit esse ab æterno, alia quęstio, atque adeò difficilior est. Nam quidam ne omnino aduersentur Aristoteli, vel in iis quibus ille aduersatur ecclesiæ, dicunt, etsi mundus hic ab æterno non sit, tamen posse esse, immò verò naturalibus principiis consentaneum esse, illum ab æterno fuisse, atque vt quoddam principium habuerit, esse supra naturam. Neque tamen proinde, dicunt posse mundum hunc ab æterno esse, vt quod perse ab æterno sit, nam hoc esset Deum verum tollere, & ipsum mundum Deum facere. Sed posse Deum mundum hunc ab æterno fecisse, velut (dicunt) ab æterno patrem genuisse filium ecclesia testatur. Hoc putant esse necessarium, quia nunquam Deus non potuit facere quę sunt, vt ergo ab ęterno fuit, ita ab æterno potuit. Quidam illorum dicunt, res ortui & interitui obnoxias, vt elementa & concreta crpora, non posse esse factas ab æterno, tamen res incorruptibiles, vt cœlum & angelos, & animos hominum, posse ab æterno esse factas. Quorum ratio est, quia putãt res incorruptibiles ab æterno esse factas nullam repugnantiam continere, tamen res ortum & interitum habentes, ab æterno esse continere repugnantiam hanc quòd, scilicet, aliqua res eius speciei, vt aliquis homo, & aliquis, æquus, fuisset ab æterno, ille verò non esset natus antequàm mortuus. Nam aut esset

Aliorũ placita.

mortuus ab æterno, aut quoddã tempore; si quoddam tempore, cuidam finito tempori additum tempus illud finitum quo vixit, faceret æternum, si autem ab æterno mortuus est, nõ est natus prius quàm mortuus, quia æternum æterno non est prius. Huic & similibus argumentis respondent quidam, hominem fuisse ab æterno, nullũ tamen hominem fuisse omnium primum neque ab æterno. Tamen si reuera deus fecit hominem, constat fecisse aliquem primum. Sed argumentum hoc modo propositum minus patebit solutioni. Si homines sunt ab ęterno, aliquis homo natus est infinito tempore ante hoc nũc, ille ergo aut mortuus est infinito tẽpore ante hoc nũc, aut finito, si infinito, non est natus anteq̃ mortuus, alioqui infinitum est minus alio infinito: si finito, fit vt finitum additum finito faciat infinitum. Respondere adhuc posit aliquis esse infinitum infinito maius impropriè (nam ita dicunt sophistæ) sed non video quid aliud sit propriè esse maius alio, quã continere illud & aliquid amplius, tempus verò ex quo homo ille esset natus contineret tempus quo esset mortuus vsque in hoc nunc, & præterea tempus vitæ illius, quare propriè esset maius. Sed quia illi vocãt esse propriè mai⁹, quod proportione aliqua est maius, adhuc erit firmius argumentum, vt à me propositum est in cõmẽtaris hoc scilicet. Si homines fuerunt ab ęterno, necesse est homines aliquos, illorum à quibus ego fluo, fuisse infinito tempore ante hoc nunc, quia si omniũ fuisset finitum tempus, aliquo tẽpore esse cœpissent. Neque tamen omnes fuerunt infinito tẽpore anteà: (nam pater auus & atauus & multi alii finito tempore fuerũt ante me: ergo quidam meorum maiorum fuerunt finito tempore antè me, quidam infinito. Omnes qui fuerunt finito tempore ante me, fuerunt finiti numero. Nam si fuissent infiniti, cum quiuis vixisset temqus aliquod certum, totum etiam tempus, quo fuerunt, fuisset infinitum. Si ergo numero finiti sunt omnes, addatur vnus: aut erunt infiniti aut finiti: si infiniti, fit vt finiti addito vno fiant infiniti, quod repugnãtiam continet, quia cùm numerus sit infinitus additione, non potest esse numerus maximus aliquis finitorum, esset verò ille qui acceptus est: si autem erunt finiti, illo etiam addito, adhuc fuissent illi finito tem-

pore

pore antè me, quare non essent accepti omnes. Repugnantiam ergo continet non fuisse omnes homines finitos numero, & omnes equos & alias omnes res quæ ortũ & interitum habent. Proinde ergo illi affirmant, res huiusmodi nõ posse esse factas ab eterno, nisi Deus voluerit aliquã harũ eternum tempus sine interitu, vnã & eandem manẽtem conseruare, velut cœlum, quod neq; interiens neq; aliud gignens perseuerat. Hoc enim & alia huiusmodi putãt posse esse ab æterno facta. Sed re vera falluntur, non enim idem est rem aliquã ab æterno esse, & ab æterno esse factam. Esse ab æterno rem aliquã quæ interitu & ortu careat, nullam repugnantiam continet, tamen esse factum ab æterno, non minorem repugnantiam continet, si res sit incorruptibilis, quam si sit corruptibilis. Nam hoc ipsum esse factum, & esse ab æterno, repugnnntiam continet. Si enim res est facta, facta est ens de non ente, quare prius fuit non ens quam ens, æterno autem nihil est prius, ergo quod factum est, & quod causam habet factricem, non potest esse eternum. Nam causa prior est re, & causa erat actu, cum res non erat actu, sed potentia. Neque quidem satis est dicere, fuisse illud non ens priusquam ens natura solùm. Nã fuissent simul tempore, quod contra dictionem cõtinet. Exemplum autem quod producunt ad eam rem est ineptissimum, nam filius nõ est factus neque creatus, sed genitus. Interest autem multum, nam filiꝰ neque tempore neque natura posterior est patre. Non enim solum pater est ab æterno sed etiam ab æterno est pater, si autem ab æterno est pater, ab æterno est filius. Nã quæ relatiuè dicuntur, simul sunt, & tempore, & natura non est tamen Deus ab æterno aliquid faciens, neque esse potest, quia nihil potuit ab æterno fieri. Ergo non potest cœlũ aut angelus, aut quidquàm aliud siue naturalem interitum habeat siue non, ab æterno esse, aliter quam existens ab æterno à nullo factum. Nihil tamen potest ita esse, nisi sit perse ens, at verò Arist. ipse dicit cap. 4. lib. 3. de physi. doctr. quod est perse ens, omnibus philosophis esse vocatum Deum, esseque ita reuera. Ergo nihil præter Deum est ab æterno, neque esse potest. Sed repugnantiam continet aliter dicere, quæ repugnãtia nullum latere posset, nisi Aristotelis autoritatem tanti facerent. Faciunt autem tanti, vt in confirmandis diuinis oraculis, videantur hominis autoritate non nihil frangi, res (vt alibi dixi) plena periculo. Sed quando diximus non posse rem aliquam ab æterno esse factam, oportet illorũ argumento respondeamus. Deus (dicũt) ab æterno potuit facere, quod tunc fecit, ergo illud ab æterno potuit fieri à deo. Ego quidem concedo Deum ab eterno posse facere hoc cœlum, nũquàm enim nõ potuit, & hoc cœlũ ab æterno potuisse fieri, quia semper potentiæ actiuæ respondet passiua. Tamen Deus non potuit, facere cœlum ab eterno quia non potuit cœlũ fieri ab æterno. Neque enim idẽ est ab eterno potuisse fieri, & potuisse fieri ab æterno. Nam vt ab æterno potuerit fieri, satis est, vt quocunque nunc huius eternitatis putuerit fieri, tamen vt potuerit fieri ab æterno, opus est vt potuerit fieri ante omne nunc, & ante omnia secula, quod rei factæ repugnat. Nam deus quidem quocũq; nunc potuit cœlum facere, & quocunque voluisset tũc fecisset, sed quocunq; fecisset, fecisset aliquãdo. Quod aũt aliquãdo factũ esset, non posset non habuisse principium temporis, & ex finito aliquo tempore esse. Nã vt Arist. ipse dicit cap. 3. lib. 4. de phys. doctrina, quod aliquando, tempus finitũ est ad prius nunc, vt aliquãdo capta est troia. quoniam ergo omne quod factum est, aliquando factum esse constat, nihil posit esse factum ab æterno. Argumenta verò philosophorum esse leuissima mõstratum antea est.

Propria sententia. *Respõdetur.*

De modo quo res incipiunt & finiuntur. 46

Enarratio.

Monstratum est Arist. cap. 5. lib. 6. & cap. 1. lib. 8. de phys. doct. atq; adeo nobis in cõm. res fluẽtes (huiusmodi sunt motus & tẽpus) & formas quæ motu comparãtur, vt calorẽ & frigus, neq; posse habere primum neq; vltimũ instans, quo sint, sed incipere esse cũ desinunt non esse, hoc est, vltimo instanti quo nõ sint, & post quod statim sint, finiri verò cum incipiũt nõ esse, hoc est primo instanti quo nõ sint, & ante quod fuerint: atq; hoc eodẽ modo finiri res alias, quarum interitus naturalis, mutatio quædam est, & non motus, cuiusmodi est homo, non tñ eodem modo oriri,

sed habere primum instans quo sint. Hæc illo loco monstrata sunt; tamen est præsentis instituti omnibus obiectionib⁹, quæ videntur posse occurrere, respondere. Primò videtur falsum, non posse esse primũ instans quo motus sit. Nam si non est primum quo motus sit, erit vltimum quo nõ sit vltimum autem quo non sit motus, erit vltimum quo sit quies. Sed quies non potest habere vltimum quo sit, vt docet Aristo. cap. 3. lib. 6. quia neque quies potest esse in instãti, ergo motus potest habere primũ quo sit. Præterea, necesse est finiti motus esse principium & finem, illud autem principium esse aliquid ipsius, ergo ligni principium est quædam extrema superficies, ita principium motus debet esse aliquod primum instans quò sit. Præterea fit vt necesse sit motum omnem fuisse æternum, quia impossibile est moueri aliquid cũ non moueretur prius. Præterea, pone vtero gerentem ambulare, Et ea ambulãte oriri in vtero hominem per primum instans quo sit. Illo primo instanti quo erit homo, mouebitur, quia non poterit non moueri cum moueatur mater à qua portatur, tamen cõstat antè illud instans nõ fuisse motum hominis, quia non fuit homo, ergo eius motus est primum instans. Sed & qualitatis, quæ motu comparatur, videtur esse primum instans eisdem argumentis, (quia si motus est, erit & talis qualitatis) sed & aliis propriis argumentis. Primò nunquam est vltima dispositio ad formam, quin sit forma, ergo si est primum instans, quo forma ignis sit, est etiam primum instans, quo sit vltima dispositio ad illam, ea autem dispositio est qualitas quæ motu comparatur, talis ergo qualitatis est instans primũ. Præterea febris est calor, qui alteratione generatur, potest autem esse primum instans quo quis febricitet. Nam febris est calor superans latitudinem naturalis caloris, si cui ergo sit naturalis calor à primo gradu vsq; ad tertium exclusiue (dico autem exclusiue, vt eo gradu non possit, possit autem infra eum) id instans, quo attinget calor tertium gradum erit primum, quo febricitabit homo. Præterea si est minimum & maximum in omni rerum genere, vt. 1. li. c. 4. Aristot. videbatur docere, minimus calor incipiet per primũ instans quo sit, & illud idem instans quo primum erit calor minimus, erit primum instans calefactioni quia nunquàm anteà fuerit calefactio, cùm nõ possit esse calefactio sine calore. De desitione motus videntur esse similia argumẽta. Si enim non posset esse vltimum instãs quo esset motus, finiretur primo, quo non esset, id verò esset primum quo res quiesceret, sed quietis non potest esse primum instans quo sit, ergo neque motus primum quo non sit. Præterea si dispositio conseruatiua hominis sit vsque ad tertium gradum frigoris inclusiue (dico autem inclusiuè, vt cum tertii gradus frigore possit homo viuere, cum maiori non possit) & refrigeratione intereat homo, cum primum erit calor tertii gradus, erit vltimum instãs, quo erit motus, quia eo instanti adhuc erit res in motu, nunquàm autem deinceps, quia cùm primum erit calor maior tertio gradu, erit finit⁹, interitus & motus. Atq; eodem argumento fit, vt qualitas motu comparata habeat vltimum instãs quo sit. Nam illudmet instans, quod erit vltimum motus, erit & dispositionis illius conseruatiuæ. Sed & quod de inceptione & desitione formarum, quarum ortus & interitus est sine motu, dicebatur, videtur esse falsum. Non enim omnis substantia videtur posse habere primum instans quo sit. Aliòqui si stupa ad ignem posita ardere inciperet, sensim serpente per partes igne, ita vt semper pars vicinior igni vreretur antequam remotior, ignis ex stupa genitus haberet primum instans, id verò si haberet, fieret vt esset pars aliqua continuati corporis indiuisibilis, & prima secundum se totam. Nam in instanti quo primum esset ignis ex stupa, aut esset ignis genitus ex stupæ parte diuisibili, aut indiuisibili: si ex diuisibili, ergo eius dimidiata pars quæ ad ignem spectat, esset inflammata prius quam tota, non ergo esset hoc instans primum: si autem ex indiuisibili, fieret, vt continuatum constaret ex indiuisibilibus: ergo ille ignis non posset incipere per primum instans: quòd si non incipit per primum instans, incipiet necessario per vltimum quo non sit: quod si conceditur, fit vt stupa ex qua fieri incipit, desinat esse per vltimum quo sit. Nam idem erit vltimum quo nõ sit id quod gignitur, & vltimum quo sit id quod corrumpitur. Quare fit, contra aliam partem assertionũ, vt sit vltimum instans substantiæ. Sed & alio argumento fit hoc idem. Si enim vt

Obiectiones.

lib.

lib. 1. cap. 4. dictum est, quæuis substantia habet certos fines crescendi & decrescẽdi, poterit res quęcunque crescendo interire. Et id instans quo peruentum erit ei ad molẽ maximam q̃ habere poterit, erit vltimũ quo res erit: nã sub nulla maiori mole esse poterit. Præterea potest Deus velle vt hõ nũc sit, & nunq̃ deinceps quo posito, erit hoc nunc vltimum quo hõ sit: posse autem deũ id velle nihil prohibere videtur. Quid enim deũ cogat, quia in hoc vsque nũc hominẽ seruauit, seruare aliquãdo etiã posthac? Videtur ergo posse res quæcunque habere vltimum instans quo sit: vsque adeo falsa & incerta videntur esse omnia, quæ de inceptione & desitione rerum diximus. Verum hęc argumenta dilluet facilè qui tenuerit omnia quæ in com. diximus. Nihilo minus nunc quoque ea ordine dilluemus. In primis sciri oportet eãdem rationẽ esse inceptionis & desitionis quieti & motui: quia neque motus neque quies potest agi in nunc indiuisibili, sed in tempore. Ergo neque motus neque quietis potest esse primum instans, aut vltimum quo sit. Proinde non valet hæc consecutio, hoc instanti res nõ mouetur, ergo quiescit, quia in instãti neque quiescit neque mouetur, vt Aris. expresse dicit capit. 2. lib. 6. quanq̃ classici quidam de desitione quietis aliter putant. Sed non vacat omnia illorum errata perse qui aliter quam veram Aristo. sententiam enarrando, nã hinc facilè detegentur errores. Sed neque hæc cõsecutio valet, hæc res non mouetur hoc tempore, ergo quiescit, nam toto hoc die angelus neque mouetur neque quiescit. Valet tñ hæc, hoc tempore res hęc nõ mouetur, & est nata moueri, ergo quiescet: Hinc verò nihil fit cõtra pręsentes assertiones. Quare venio ad secundam obiectionẽ. Plerique dicunt motum neque principium neque finẽ habere internum sed externum (finis intern⁹ est vt sua extremitas terræ externus vt aquæ extremitas terræ) sed hoc ponere est nullius momenti, & inane. Nã finis qui vni rei est externus ali est internus, velut externus terræ internus aquæ, ergo instans quod esset finis externus motui ęsset internus quieti (nam inter quietem & & motum nihil interest) nihil autem minus absurditatis habet, instans esse partem quietis q̃ motus, si vt dictum est, eadem ratione finitur & incipit quies & motus. Proinde ego non ita responderim, sed motum atque etiã quietem, habere finem initiumque internum, eos autẽ fines esse instantia, in quibus neq; motus agitur neque quies, & esse idem instans primum quo nõ est quies & vltimũ quo nõ est motus, & vnius initium & alterius finẽ, vtrique internum, velut accidit eandem superficiem esse in magnitudinibus cõtinuatis: id verò fieri in quiete & motu, quia sunt cõtinuata secundum temp⁹. Sed hoc in cõment. satis explicuimus, vbi tertiæ etiam obiectioni respõdimus, nõ posse esse primam partem motus, sed antè quãcunque motus partem fuisse aliam, non tñ proinde fuisse motum quencunque ęternum, quia non antequamcunque fuit æqualis motus pars, aut pars certè magnitudinis, sed semper tanto minor, quanto diuisio versus principiũ facta fuerit maior: velut minor est tertia q̃ altera pars, & quarta q̃ tertia, & quinta q̃ quarta, nulla tñ est qua nõ fuerit alia prior, sed vt prior ita & minor. Argumentum de vtero gerente facessit negotium multis, adeò vt cogantur quidam cõcedere, motum fœtus inceptum p primum instans, sed quod ab Arist. dicitur, intelligi de iis quæ mouentur per se, non de iis quæ mouentur motu alieno. Sed hi leuissimè philosophantur, nõ enim rem ipsam perse consideram, sed quid possint pro Arist. respondere. Nam siquis rem ipsam perse consideret, intelliget facilè, nihil interesse moueri rem perse ipsam, aut portari ab alia quæ moueatur. Cur enim non potest esse primum instans quo motus sit? An non quia motus non potest agi nisi in tempore, ac proinde antè omnem motum est mutatum, & antè omne mutatum est motus? Sed non magis potest motus qui ab alio agitur in instanti agi, q̃ quo aliquid mouetur perse. Accedit quod Aristotel. omne quod mouetur, dicit moueri ab alio, quare omnis motus posset habere primum nunc. Non ergo ita dicendum est, sed nullum omninò motum posse habere primum nunc, & quicquid mouetur motũ esse antea. Atqui nisi sum⁹ obliti eorum quæ quæstione. 9. diximus facilè constabit, quid respondere possimus, ibi enim diximus esse in nobis præter animũ, formas alias partium homogenearum, vt ossis carnis nerui & arteriæ, manereque eas cum homo recedente animo abit in cadauer, & antecedere in ipso fœtu

antequàm animus accedat. Cũ igitur motus ille fetus qui geritur vtero nõ sit ipsius hominis perse, sed homogenearum illius partium, cõstat etsi illud instans, quo fetus recipit animũ, sit primũ quo est motus hominis, tñ nõ esse primũ quo est motus. Nã idem motus fuerit prius, & eorundẽ perse primo, hoc est similarium partium. Eadẽ ratio est, si homo cadẽs exalto media via moriatur. Sed quoniam hoc quod de partiũ similarium formis diximus, non placet omnibus, & nondum satis monstratum est, satius sit pro cõmuni dogmate cõmuni dilutione argumenti vti, siue homo nascatur in vtero, siue intereat exalto cadens, immò verò siue Deus hominẽ cadentem in lapidem mutet (ita enim nullæ partes similares superint, quæ fuerint prius) siue ex nihilo lapidem faciat, qui nunquã quiescat, velut fecit cœlum, erit sanè illud primum instãs quo sit homo, aut cadauer, aut lapis, nõ tñ erit primum quo moueatur. Non enim eo nunc quo primũ erit, mouebitur (nam in nunc non est motus) sed incipiet moueri, quia erit id instans vltimũ quo non mouebitur. Neque hinc fit vt aliquo tẽpore moueatur gerens vtero, & nõ moueatur fœtus, neq; vt motus interpelletur instanti. Nã in instanti neque mater mouetur, neq; instãs est tẽpus neque nõ moueri per instãs facit motus interpellationẽ: quia illud nõ moueri, non est quiescere. Pro dillutione obiectionũ de inceptione formę quę motu cõparatur, meminisse oportet, eorũ quę locis citatis excõ. mõstrata sunt: videlicet, etsi non posit esse instãs quo calor aut frigus, aut qualitas quęcunq; huiusmodi primũ sit, tñ posse esse quo primũ sit tanta. Vt non potest esse instãs quo primũ sit calor, potest tñ esse quo primũ sit calor quarti gradus: quia si quid calescat vsque ad quartum, instãs quo primũ non erit motus, erit primũ quo erit calor quarti gradus. Idem accidit in desitione. Nimirum non potest desinere esse calor per instãs vltimum quo sit, tamen potest desinere esse tãtus. Velut non potest esse instãs quo vltimo sit calor, potest tamen esse instans, quo vltimo sit calor quarti gradus. Nam si quod est calidũ 4. gradu, incipiat refrigerari, instãs vltimũ quo non erit motus, erit vltimum quo erit calor quarti gradus. Cùm ergo dispositio vltima ad ignem non sit calor simpliciter, sed tantus calor, cõstat citra absurdum aliquod habere posse instans quo primum sit. Febris non mirum si habeat primum instãs quo sit, quia cum febris non sit calor vt calor, sed vt dispositio, non comparatur motu perse, sed tunc succedit, cùm calor sit tãtus, vt ledat, tantus autem calor fieri potest per primum instans, vt explicatum est. Porrò mõstratum mihi est quæst. 5. quę est de maximo & minimo, nõ esse minimum in aliqua qualitate earum quæ motu cõparãtur. Ergo in obiectione accipitur falsum. Obiectiones itaque de inceptione motus & formarum quæ motu comparantur ita dillutæ sint. Superest vt eas quæ de motus desitione sunt, dilluamus. Prima quidẽ dilluta iam est, negauimus enim instans vltimum quo nõ sit motus, esse vltimum quo sit quies, quia in instanti neque motus est neque quies. Eadẽ rationẽ negamus modo instans quo primo non est motus, esse instans quo primo sit quies. Iam verò quod de dispositione conseruatiua hominis obiicitur, ex iis quæ cap. citato de maximo & minimo dicta sunt, facilè dilluitur. Illic enim diximus, dispositionem cõseruantem formã substantiæ alicuius, non posse finiri fine interno, sed necessariò finiri externo: quia cum substantiæ ortus non sit motus, sed mutatio quędam, & vnicum mutatum esse, habet primũ instãs quo sit, quod cum habeatur, nõ potest substantia quę interit, habere instans vltimum quo sit, quia aut essent instantia proxima, aut interim esset materia sine forma. Ergo substantia nulla habere potest instãs quo vltimo sit, neque ergo dispositio conseruans substantiæ formam habere potest finem internum: quia si talem haberet, cùm monstratum sit qualitatem q̃cunque posse habere, quo vltimo sit tanta, instans quo dispositio illa vltimo esset tanta, esset etiam vltimum quo substantia esset. Vt ergo substantia nõ potest habere vltimũ quo sit, ita neque dispositio potest habere finem internum: idest, debet finiri, nõ quidem maximo gradu, quo substantiæ forma seruari posit, sed minimo quo nõ posit. Ergo negamus posse esse dispositionem conseruãtem formã hominis vsque ad tertium gradũ (neque verò vsque ad aliquẽ aliũ) inclusiue. Nã illud nihil est aliud, q̃ finiri fine interno. Sed venio ad reliq̃s obiectiones de inceptione & desitione rerũ, quę sine motu oriũtur & intereũt. Gigni põt substãtia aliqua, aut tota simul, velut

velut totus fœtus animũ simul recipit, vel pars ante partem: idque aut secundum partes notatu dignæ magnitudinis, velut si in fœtu viuit cor ante alias partes, vel generatione continuata secundum continuitatẽ materiæ, vt stupa, quæ velut serpente & decurrente igne generatur. Cùm gignitur res aliqua tota, vnica mutatio est, & proinde est instans qua primum ea substãtia est: cum gignitur pars post partem, non tamẽ continuata generatione, non est vnica mutatio, sed multæ, illę verò non continuatę, sed deinceps positæ, & quæuis mutatio partis habet per se primum instans quo sit: tamen cum fit mutatio secundum partes materiæ continuatæ, non est prima pars, ex qua generatio facta sit, quia, vt in obiectione dicebatur, esset ea indiuisibilis. Itaque etsi sit primum instãs, quo forma ignis fiat in quauis parte stupæ, tamen non est primum, quo in stupa fieri cœperit: quare in hac stupa (indico totam) non incœpit fieri per primum instans quo esset, sed per vltimum quo non. Neque verò proinde illud instans fuit vltimum quo stupa fuit (non enim indiuisibili mutatione, sed continuata mutata est tota) sed vltimum quo fuit integra & tota. Non est autem absurdum esse vltimum instans quo substãtia aliqua sit tanta. Nam si decretio est motus continuatus, constat instans vltimum quo non est decretio, esse vltimum quo res est tanta. Secundæ obiectioni facilius respondetur. Negatum est enim cap. 5. bis iam citato, finem incrementi substantiæ alicuius internum esse posse. Quod si non potest, non erit moles maxima quam res aliqua habere posit, vt in obiectione ponebatur, sed minima quam habere non posit. Vnica obiectio superest, quę proinde videtur difficilis, quod in ea potentia Dei interponitur, quæ tamen, siquis rem ipsam perse consideret, nõ est ad modum difficilis. Nã si repugnantiam continet aliquid nunc, quod nunquàm deinceps futurum sit, non potest id Deus velle. Continere autem repugnantiam, constat, quia neque nunc tẽporis, neque puncta corporum, neque mutata motuum, sunt res quę piam actu, neq; substantiæ quidem partes, neque accidentia, vt antea monstratum est: quare neque potest facere rem quampiam quæ nullo tẽpore, sed vnico tantum nunc temporis duret, neque potest punctum vnicum à corpore separare. Nam re vera non sunt hæc in magnitudinibus. Vnde constat, non solum quæ secũdum naturam intereunt, vt putant plærique, sed etsi quæ à Deo in nihilum rediguntur, finiri fine externo, hoc est, per instans primum quo nõ sint. Nam eodem nunc quo Deus vult in nihilum deducere, res non est. Si ergo nunc est, non vult Deus nunc rem nõ esse, alio ergo nũc volet, quod nunc, si erit huic proximum, erunt duo nunc proxima, quod repugnantiam continet, si non erunt, intererit aliquod tempus, quo etiam res erit: non ergo est hoc nunc vltimum quo res erit: repugnantiam igitur continet rem finiri instãti vltimo quæ sit, quare Deus id non volet.

An primum mouens sit vnum immobile. 47

IMprimis, si non est necesse, omne quod mouetur ab alio moueri, sed omnia naturalia corpora habẽt motus naturales perse ipsa (vt antea diximus) nulla necessitas videtur cogere, ponere primũ motorẽ. Nam si omne quod mouetur, ab alio mouetur, aperta ratio est, cui Aristo. maximè fidit, qua venire cogimur in primã mouẽdi causam, quæ moueat & non moueatur: quia procedẽdo à rebus mouilibus ad causas mouentes, aut eundum est in infinitũ, aut veniẽdum ad causam talem. Sed si tollimus id principiũ, ponimus q; omnia naturalia corpora moueri à seipsis motu naturali, dicere posimus, vnũquodq; corp⁹, naturale esse sibi primã sui mot⁹ causam, neque esse vnã omnium cõmunem, sed totum hunc mundum omnium concursione seruari, & fieri vnum, non causæ rectricis vnitate. Quòd si talis causa non sit, frustra quęritur, an sit vna, & immobilis. Prętereà quæ necessitas est, si præter proximam cuius q; motus, est alia causa prima, vt ea sit vnica? Cur non posint esse multæ, quibus in varios motus incumbentibus, gubernatur rerum vniuersitas, vt hominum genus gubernatur à multis regibus? Quin potius id videtur esse necessarium. Nam sunt multi contrarii motus non videntur aũt cõtrarii posse referri in eãdẽ causam primã nã omnis motus tribuitur causæ primæ ꝓpriusquàm proximę (velut si homo mouet baculum, & baculus lapidẽ homo mouet

lapidem, potius q̃ baculus) ergo primę causæ, si esset vnica, tribuerentur refrigeratio & calefactio per se, & proprius adhuc q̃ calori & frigori: tñ omne quod mouet habet actu id quod mobile habet potẽtia, & vt dicit Ari. est synonimũ id quod facit & id ꝙ fit, vt calidũ calido, frigidũ frigido, haberet ergo illa causa actu cõtraria: Nõ vidẽtur autẽ eidẽ posse inesse, sunt igitur multæ primæ causæ, nõ vna. Sed si vna esse ponatur, Non videtur necessariũ vt sit immobilis, si negamus omne quod mouetur moueri ab alio. Nã poterit illud quod mouetur primo, esse quod primo moueat, moueriq; à se ipso. Quin etiam præter hoc videtur prima causa moueri, quia si nullã mutationẽ subire posset, semp intelligeret, & vellet eadẽ, semp ergo fierẽt in mundo eadẽ: Quin potius nulla fierent: Nam in motu non potest non succedere quod non erat, & tolli quod erat, sed essent semper eadẽ, aut ergo omnia quiescerẽt aut prima etiã causa moueretur cũ aliis. Sed & posito prĩcipio Ari. Omne quod mouetur moueri ab alio, & quod mouet moueri, fieri põt vt nunq̃ perueniatur ad primã mouẽdi causam immobilẽ, neq; ꝓcedatur in infinitũ, sed moueãtur res aliæ ab aliis mutuò, & circulo quodã. Quòd si id fortasse videatur non posse fieri secundũ eãdem speciem vltimã mot⁹, tñ secundum diuersas videtur posse. Nam hõ agit equum, & equus vehit hominẽ, & nauta mouet nauim, & nauis nautam, & musculi mouẽt cærebrum trãsferẽtes cum capite, & cærebrum mouet musculos, prestans illis vim: atq; multo magis, posit aliquid mouere loco id à quo alteretur, qđ profectò eueniet si homo manibus prunas cõgreget mouebit enim loco prunas, à q̃bus calefiet. Nulla ergo ratio est, saltẽ physica quæ cogat primam causam ponere, ac multo minus, quæ immobilẽ. Dictũ est mihi in calce capitis quinti, libri octaui, esse vnicam primã causam omniũ eorum quæ in hac rerum vniuersitate aguntur, & eam esse immobilẽ, nõ habere monstrationem in hac doctrina (argumenta enim Aristot. partim esse tantùm topica, partim procedere ex falsis positionibus) sed in prima philosophia. Verũ etsi nõ habeant hæ assertiones hîc monstrationem, tñ cum sint verissimæ, repugnare non possunt Physicæ doctrinę, quia verũ semp cõsonat verò. Quare duo refert nũc facere, imprimis mõstrationes harũ dicere, quanq̃ huius loci non sint, ne quisquã, priuari se his, aliis nõ appositis, grauiter ferat: Deinde argumẽtis propositis respondere.

Enarratio & decisio.

Monstratũ est proxima quęstione neq; rem aliquã esse ab ęterno, neq; fuisse infinitas rerũ generationes, sed omnia quæ facta sunt ex quodã finito tẽpore facta esse, & fuisse numero finita. Si aũt hoc ita est, cõstat ante res oẽs fuisse aliquid æternum, à quo facta sint omnia, quę facta sunt. Nam omne quod fit ab aliquo fit, nõ potuit aũt aliquid fieri à se ipso (nã vt quod fit est potẽtia, ita quod facit est actu, quod aũt omninò non est, nihil habet actu) ergo quę in principio facta sunt, facta sunt ab aliquo æterno. Nã etsi hęc res corruptibilis fiat ab alia corruptibili, & illa facta sit ab alia, & rursum illa ab alia, tñ si non fuerunt infinitæ generationes, perueniendũ est ad rem aliquã, quæ facta sit ab æterna causa. Illa ergo fuerit causa omniũ eorũ quæ fecerit, ea verò per se sit, & ex nulla pẽdẽs causa, quare fuerit prima causa: quod si prima, fuerit etiã essẽtia & substãtia simplex. Nã si esset cõposita, haberet principia ex q̃bus cõstaret, quæ quidẽ essent priora q̃ illa vt res & vt causæ (quia principia ex quib⁹ res cõstat, causę sunt illi⁹, ęterno aũt nihil potest esse prius) si ergo est substãtia, & ęterna, & causa prima, simplex etiã substantia est: qđ si est substãtia simplex, est etiã vnica & immobilis. Nã si essent multæ substãtię æternæ, vt multi dii, haberẽt in se ipsis prĩcipia differendi. Quare essent cõpositę ex eis, & ex natura q̃ haberent cõmunem. Dico aũt ex natura quam haberent cõmunem, quia nunc quidẽ differt Deus ab angelo, non tñ differẽtia aliqua interna qua cõstet, vt hõ ex rationali, sed per se totũ, quia nõ habet naturã aliquã cum angelo cõmunem. Nã omnia quę de deo & aliis rebus simul dicũtur, vt ens, & substãtia, dicũtur non quidẽ propriè, & eodẽ modo de vtrisq;, sed analogia, quia Deus pse, ac primo, proprieq; est ens, & substantia, reliqua quodãmodo, & per aliud: verũ si multa essent ęterna & prima, illa omnia essent ęque proprie, atq; ęque primo entia, & substãtiæ, quare haberẽt rationẽ quandam cõmunem, & præter eã principiũ differẽdi: essent ergo cõposita. Si ergo quod ęternum est simplex, constat nulla esse æterna quæ non sint vna prima causa, & vnus Deus numero. Atqui eum esse immobilem eadem ratio est. Nã omne

Esse primã causã monstratur.

Primã cãm esse immobilẽ mõstratur.

quod

quod mouetur est partim in actu & par-
tim in potentia, quod verò omni composi
tione caret, non potest esse huiusmodi. Nã
idem secundum idem non potest esse in a
ctu & potentia. Non tamen possunt esse
multa in re omninò simplici, nisi secundũ
idem, ergo quod omnino simplex est, aut
est pura potentia, aut purus actus : prima
autem causa non potest ess tantum in potẽ
tia, quia omnia fecit, omne aũt quod facit
quia est in actu facit, ergo est actus merus
Respõde quare non est mobilis. Sed propositis argu
tur obie- mentis oportet respondere, certè ex physi
ctionibus cis non monstratur esse primã causam vni
cam, tamen monstratur in prima phyloso
phia, argumento simili huic, quo Arist. vti
tur in physica. Nimirùm, quia necesse est,
causas omnes reduci ad vnicam primam,
quia aliter totus mundus esset, vt multa,
& non vt vnum. Cùm ergo perfectum in
rebus, sit quod vnum, & imperfecta quæ
multa, constat & totum mundum oporte
re esse vnum, & primam causam vnam: to
tum, quia totum & perfectum idẽ, & per-
fectum & vnum, ergo totum & vnum: pri
mam causam, quia cũ alia omnia ab ea fiãt
& perficiantur, ea erit vt omnium causarũ
prima, ita & omnium rerum perfectissi-
ma, quare maximè vna. Qui ergo diceret
omnia naturalia corpora esse sibi primas
motus causas, neque pẽdere ab vna aliqua
priori, per quam sint, & moueantur, & qui
diceret res à multis causis rectricibus & pri
mis gubernari, vt res hominum à multis
regibus, non loqueretur probabiliter, ne-
que placere posset cuiquam benè instituto.
Omnẽ motũ tribui causæ primę, proprius
ac verius, quã proximę, verè dicitur, ac pro
inde ego verius moueor à deo, quàm à me
ipso, vt lapis verius mouetur ab homine, q̃
à baculo, atq; proinde primę causæ tribuũ
tur motus omnes, diuersi, & cõtrariiæque
proprie, tñ non proinde opus est eam con
trarias appellationes recipere. Nam quod
dicitur ab Aristo. omne quod mouet habe
re actu id quod mobile habet potentia, &
id quod facit esse synonomum ei quod fit
de causis proximis fortasse sit verum, tñ nõ
de primis, etsi primę dicantur proprissimè
id facere. Nam si ego admoueo ignem do-
mui, aut templo, verissimè quidẽ ego inflã
mo domum aut templum, tñ ego non ha-
beo actu formam ignis, quam domus cõci
pit, neq; sum ignis, vt illa sit ignis, sed hunc
actum, & hanc synonimiã habet ignis, quẽ
ego admoueo, quia est causa proxima vstio
nis, ita prima causa omnia facit, tñ non cõ-
tinet actu omnes formas, sed potentia. Po
tentia quidem, non passiua, quia si non po
test moueri, nihil potest recipere: sed acti-
ua, hoc est virtute omnia faciendi. Cùm di
citur, si dei voluntas non mutaretur, opor
tere omnia esse semper eadem, malle colli
gitur, nisi monstretur illum aliquando de
creuisse, vt essent omnia eadem, tñ nõ de-
creuit, sed à principio (principiũ voco æter
nitatem) vult non esse omnia eadẽ, sed fie
ri alia ex aliis, & vt semper voluit, ita vult,
atque quia ille idẽ ipse est, alia fiunt diuer-
sa, qualia videlicet fieri ille ab ęterno vult.
O stolidissimum Auerroum, qui si fiunt *Auerro.*
res nouæ, cũ eas deus fieri decreuerat, mu
tatum deũ esse putat, cum tñ hac ipsa ratio
ne putare oportet, non esse mutatum. Nũ
quid si rex multo ante dixerit, hodie futu-
rum bellum, & hodie bellum cõmitti iu-
bet, mutatum eũ dixeris, an non mutatũ?
Sed quã sit friuolum hoc argumentũ, cui
tñ cæca phylosophorum antiquitas maxi-
mè fidebat, de mutatiõe prima causę si mũ
dus non sit ab æterno, vel hac ratione con
stare potest, quod siue mundus sit ab æter
no, siue nõ, idem argumentũ est, de singu
lis generationibus. Nã hodie mihi nata est
filia, quæ non erat nata antea, ergo hodie
hanc nasci deus voluit, quã antea nollebat
nasci. Sed falluntur, nam ille nollebat nas-
ci anteà, & proinde nata non est antea, tñ
antea quoq; volebat eam nasci, alioqui ne
que nunc vellet, neque illa nasceretur, ita-
que ille semper stat, alia omnia mouentur
ad eius nutum. Quod dicitur, & si ponatur
omne quod mouetur moueri ab alio, & q̃d
mouet moueri, non fieri vt perueniatur ad
primam causam immobilem, quia possunt
res seipsas mouere mutuo, aut secundum
eandem speciem motus, aut secundum di
uersas, falso dicitur. Nam secundum ean-
dem speciem non possunt res aliquæ mo-
uere sese mutuo. Nam si. A. mouet. B. &. B
A. A. mouet. A. & mouetur prius & poste
rius, quàm. B. & ipsum. A. nã si. A. mouet.
B. mouetur prius quam. B. si aũt mouetur
a. B. mouetur posterius quã. B. rursum si. A
mouetur prius quàm. B. &. B. quã. A. &. A
quàm. A. atque si. A. mouetur posterius q̃
B. &. B. q̃. A. &. A. quàm. A. Sed si secun-
dum diuersas species moueãtur res aliquæ,

mutuò,& non secundum eandem,positis illis principiis, fit vt sint tot causæ, primæ quot motus species. Nam res quę mouet loco, & alteratur, aut simul mouetur loco aut nō, si nō est prima causa lationis solius quia secundum eum motum mouet & nō mouetur, quare sit alia prima causa alterationis: si aūt mouetur loco, aut ab eadem à qua alteratur, & iam mouebunt se mutuò res illi eadem specie motus: si ab alia, illa alia aut mouebitur ab alia loco, aut non: si non, erit prima huius speciei motus, si mouebitur ab alia, rogabo de illa alia rursum, & ibitur in infinitum, aut peruenietur in primā huius speciei motus, aut redibitur circulo in eandem quæ accepta est primo. Si reditur secundum eandem motus speciē, mouebunt se res aliquæ mutuò, & per circulum. Si ergo nihil horum potest esse, & monstratum est, non posse esse multas causas primas, constat positis illis principiis veniendum esse ad vnicam immobilem, igitur esse vnicam causam primam immobilem, physicæ doctrina est consentaneum, & in prima phylosophia habet monstrationem.

48 An prima causa sit corporea.

VIdetur prima causa corporea esse, quia mouet corpora, semper autē quæ mouent & quæ mouentur sese tangunt, non potest autem quod corpore caret tangere corpora. Deinde Ari. probat, primam causam esse in centro aut in cœlo, si autem in aliquo loco est, corpus habet, quia locus semper est ęquale rei cuius est. Si autē prima causa est æqualis, est quanta. Pręterea Aristo. non alia ratione probat, eā esse impartibilem, quám quod est infinita, videtur autem hac ipsa ratione fieri vt sit corporea, quia finitum & infinitum non dicuntur nisi de magnitudine. Accedit ꝙ Deus est magnus, magnum autem non est nisi in quanto. Nihilominus sententia Arist. est verissima, primam causam esse incorporeā Nam est monstratum esse immobilem, si aūt esset corporea esset in loco, quare posset moueri loco. Pręterea monstratum est esse substantiam simplicissimā. Si autem haberet corpus, haberet & actum corporis, vt animal quodam, quare constaret ex parte mouente & parte mota, & non esset per se, tota prima motus causa. Neque sane (vt argumentis respondeam) quo moueat corpora, opus est vt sit corp⁹. Explicuimus. n. antea, cum dicit Arist. necesse esse vt quod mouet tangat id quod mouetur, intelligi nō de tactu, mathematico, sed physico, de tactu inquā virtutis. Prima ergo causa nō tangit corpora, quia tangi non potest, sed virtus eius attingit omnia, quin potius cò potest, omnia mouere, ꝙ corpus non est: cum. n. loco non contineatur, adest omnibus simul. Neque quidem Ari. eam esse in cœlo aut centro dicit, ꝙ loco contineatur vt corpora (id. n. perspicuum est cum corpoream esse neget) sed quod adsit cœlo aut centro, vt substātia incorporea potest adesse corporibus, siue id fit præsentia substantiæ, siue operatione. Atqui quoniam ea causa principium omnium rerum est, censet oportere vt adsit alicui hui⁹ orbis principio Principium autem huius mundanæ fabricæ esse videtur, aut locus imus circa centrum, aut summus in cœlo. Colligit tñ in cœlo potius esse, quia ibi maximè sentitur operari, cum maximi ac celerrimi motus sint, qui in cœlis aguntur. Dicit ergo primā causam esse in cœlo, non (arbitror) ꝙ in eo solum, sed quod in eo maximè operatur, quare peculiari quodammodo ibi esse videtur, non quidem substantiæ suæ præsentia magis ibi quam alibi. (Nam cum adsit omnibus, & sit impartibilis substantia, non pōt nō esse tota vbique) sed quia ibi mouet celerrime & ibi vt in præstantissima sede iustorum animos beat. Arist. sanè non eo probat. vt in commentariis dixi, primā causam esse incorpoream, ꝙ sit infinita (nam infinitam esse non intellexit) sed quia non est finita, dicit autem neque finitam neque infinitam esse. Est tamen re vera magna, & infinita, non corpore, sed virtute, vt iam indicabitur.

An prima causa sit infinita virtute. 49

NOn esse primam causam infinitam, vt finitum & infinitum dicuntur de magnitudine, monstratum iam est, sed neque virtute videtur esse infinita, quia potentiæ cognoscuntur per actiones, & actiones per opera: sed prima causa. Nullum opus potest facere infinitum, neque infinitā homi-

hominum multitudinem,cum vt mōſtra-
tu m eſt quæſtio.22.Nihil huiuſmodi infi-
nitum eſſe poſsit,ergo ea nō eſt infinitę vir
tutis.Deinde nō alia ratione probari poſ-
ſet eius infinita vis,q̃ quòd mouet tēpore
infinito,ſed hæc ratio eſt debiliſsima, quia
mouet ſine reſiſtentia,& ſine defatigatiō-
ne non eſt aūt ita mouere,maioris virtutis
infinitum tēpus,quā vnum diē. Præterea
poſſet prima cauſa ſi infinitæ virtutis eſſet
mouere cœlum in nullo tempore,quia mō
ſtratum anteà eſt quodcūque corpus mo-
uere tanto celerius,quāto à virtute maiori
ſi aūt ea eſſet infinita,infinito exceſſu vin-
ceret omnes finitās,quare celeritate infini
ta mouere poſſet:ſed non poteſt motus fie
ri niſi certa quadam celeritate, ergo nulla
cauſa eſt infinita.Prætereà ; Ariſt.probat,
nullum corpus eſſe infinitū,quia ſi aliquod
eſſet talle,nullum corpuns eſſet præter il-
lud:ſimile aūt argumentum eſt de virtuti-
bus,ſi aliqua eſſet infinita,nulla eſſet præ-
ter illā,ſed ſunt præter primā cauſam aliæ
Enarratio & decisio. multę,ergo ea nō eſt infinita.Pręterea Ari.
probat infinitum omne eſſe inperfectū,&
vt materiā,ſed prima cauſa eſt omnium re
rum perfectiſsima, & omniū perfectionū
principium,eſt ergo finita. Ariſt.quidē re
vera non cenſuit,primę cauſæ vim eſſe in
finitam,neque certe aliud quicquam actu
infinitum. Nam illæ ſtatuit,infinitū eſſe in
rebus vt materiā,ſecundū potentiam ſcili-
cet,qd à prima abeſt longiſsimè:eam.n.eſ
ſe actum merum.indicatum eſt. Neq; qui
dem Ariſt.concedit,eam vim eſſe finitā,ne
que infinitam. Verum quidquid ille ſenſe-
rit,monſtratum eſt mihi.q.17.eſſe in rebus
virtutem aliquam actu infinitam:ſi aūt ali
qua eſt,conſtat eam eſſe primam:nam hæc
prębet omnibus aliis rebus vires. Nulla er
go cauſa potentior eſt quam prima. Atqui
eſſe virtutem aliquam infinitā in rebus,tūc
aliunde petito argumento probauimus: iā
verò multo facilius erit indicare, primam
cauſam eſſe infinitæ virtutis,quia indicatū
iam eſt,eam ex nihilo feciſſe cœlum & ter
ram,facere aūt ex nihilo, infinitæ virtutis
eſt,quia tanto maioris virtutis eſt aliquid
facere,quanto ex materia minus apta reci
pere. Ergo ex nulla materia nō pōt aliquid
fieri,niſi infinita virtute. Nam non debet
virtus,vt quidam dicunt, eſtimari ex ope-
ris perfectione,vt quia muſca infinitę per
fectionis non eſt,infinitę virtutis,eſſe eam
ex nihilo facere non putetur. Nam hac ra-
tione non eſſet maioris virtutis muſcam fa
cere ex nihilo,quā ex materia. Non.n.per-
fectior eſt muſca ex nihilo,quam ex mate
riā facta nō ergo ex opere ſolum ſed ex ip
ſā actione extimanda eſt virtus. Si verò a-
ctio extimetur,ex nihilo facere,q̃ ex aliquo
infinito exceſſu difficilius eſt:proinde infi
tā virtutem expoſtulat. En ergo actionem
infinitam,ex qua infinitā primę cauſæ vim
agnouimus. Quod autē non pōt opus ali-
quod infinitum facere,vt infinitū corpus,
aut infinitam rerum multitudinē,non ob
impotentiam eius euenit , ſed ob res ipſas
quę ſunt ſimpliciter impoſsibiles, & cōtra
dictionē continētes. Satis aūt eſt, vt primā
cauſam ex operibus etiam infinitam eſſe cō
cedamus, qd poſsit facere res quibuſcum
que finitis maiores,poteſt autē facere cor-
pus maius,non quidem omni finito,(nam
eſſet infinitum)ſed quocumq; finito,& plu
res homines quotcumque. Virtus auē quæ
hoc poteſt,eſt maior omni finita,quare infi
ta,atqui hoc ego nolim eo probari,ꝙ poſ
ſit infinito tēpore mouere cum moueat ſi
ne defatigatione. Æternus motus æterni
tatem cauſæ mihi indicat,non infinitatem
neque quidē quia infinita eſt,poſsit moue
re in nullo tēpore(quia tempus eſt in ratio
ne motus)ſed poſsit mouere in tēpore mi
nori quocumque certo. Quod dicitur,fieri
ſi prima cauſa infinitæ virtutis eſt,vt nulla
virtus ſit præter illam,ex formæ(vt dicunt
dialectici)nō puto valere,quia ſi eſſent duę
cauſæ,& ambæ poſſent ex nihilo facere,eſ
ſent duæ infinitæ,atq; cùm vnica ſit,quę poſ
ſit ex nihilo facere , ſi alia aliqua eſſet quæ
per ſe,ac propria vi poſſet gignere ex mate
teria,eſſet quidem alia infinita. Tn̄ valet in
materia,q a re vera nulla vis eſt præter pri
mam,quę non fluat ex prima,merito ergo
quæ prima eſt etiā infinita. Non tn̄ proin-
de eſt imperfecta, Ariſt.n.dixit,quòd infi-
nitū eſſe imperfectum, quia putauit nihil
eſſe actu infinitum,ſi autē omne infinitum
eſſet potentia tale eſſet ſane imperfectum:
Nos verò qui primæ cauſę virtutem actu
infinitam eſſe probauimus , perfectiſsimā
etiam eſſe tenemur mox dicere.

An poſsint eſſe contrarii motus. 50
Nulla intercedente quiete.

CApite.8.lib.8.de phyſi.doctr.conatur
Ariſt.monſtrare,nō poſſe eſſe motus
contra-

contrarios, qui non separentur quiete, his argumentis. Primùm inquit, sensu constare, rem quamcumque quiescere in puncto reflexionis: deinde hac ratione, si quid mouetur de. A. in. G. recedens ab. A. abit in. G & accedit ad. G. ergo abesse incipit ab. A. & in fine motus adest ipsi. G. non pôt autẽ recedere ab eo in quo non fuerit, neque adesse ei in quo nõ sit, necesse est ergo vt sit tempus aliquod in. A. & in. G. quare vt quiescat in vtroque. Deinde si duo corpora simul ęquali celeritate moueantur per hanc lineam. a b c d æ f g. & alterum feratur ab. A. in. G. & alterum ab. A. in. F. & recurrat in. E. equale spatium percurrent, quia vtrũque percurrit ab. A. in. F. ab. F. verò in. G. & in. E. sunt æquales partes. Si aũt eidem cõmuni adduntur æqualia fiũt æqualia, tñ citius finiet motum qđ mouetur recta, vsque ad. G. q̃ quod reflectetur in. E. necesse est ergo illud quieuisse in. F. Pręterea, quia si non quiesceret in puncto reflexionis, simul accederet ad illud, & recederet. Præterea, omne qđ mouetur, à principio mouetur in quodcumque continenter motũ venit, si ergo quod ab a. in. b mouetur, rediret in. a. sine intermissione motus à principio moueretur in. a. quare simul mouetur ab. a. & in. a. & contrariis motibus. Pręterea omne qđ incipit moueri aliquo motu, incipit à quiete contraria ei motui, quia quies est priuatio motus, & quiduis fit ex priuatione, & omnis motus fit ex cõtrario ergo quod mouetur sursum necesse est antequam mouere deorsum incipiat, quiescere supra. Præterea si quid posset sine quiete recurrere, posset etiã quod calescit refrigerari continenter. Nã eadẽ est ratio omniũ motus specierũ. Si autẽ hoc fieret, eodẽ tẽpore gigneretur frigus & calor, & corrumperetur vtrumque. Nam cùm tempus calefactionis & refrigerationis nullo quietis tẽpore dirimatur, idem cõtinuatumque sit, vtriusque tẽpus. Præterea, quo pacto possit esse idem extremum dealbationis & denigrationis? Hæc sunt Ari. argumenta, quibus contendit, omninò nullos motus contrarios esse posse, qui nõ distinguãtur quiete. Nihilominus contraria assertio videtur habere firmiorem monstrationẽ quã in cõmentariis scripsimus &. 3. libr. cõtrouersiarum medicarũ. Proinde nunc attingemus breui. Si res aliqua exigua, sursum pellatur, vt sagitta sursum eiaculata, & huic ascendenti, in medio ascensus occurrat magna moles (si placet) deorsum ruens, necesse est sagitta recurrat sine quiete, aut mõtis motus in medio aëre tactu exiguæ sagittę interrumpatur, quia dũ sagita quiescit quę tangit montẽ, non poterit mons moueri. Nã quæ se tangũt, habẽt vltima simul quare aut simul quiescunt, aut descendunt simul. si aũt descendunt simul, & mõtis motus est cõtinuatus, sagita nihil quiescit in puncto reflexionis. Fortasse dices, montẽ quiescere, & si id non sit sensibile. Id quod videtur fortasse hoc argumẽto ita habere, quia moles descendens pugnat cũ impetu rei ascendentis. Si autem cũ ea pugnat, necesse sit vt ab ea aliquid patiatur: nihil aũt videtur pati, si nihil omninò detinetur, neque videtur posse detineri, si mouetur cõtinenter. Tñ hîc sermo non est verus. Nã vt patiatur aliquid id qđ mouetur, nõ opꝰ est vt eius motus interrũpatur: patitur. n. etiam cũ tardatur. Alioqui si quicquid occurrit rei quæ mouetur, & resistit ei, interrumperet eius motum, cũ nihil moueatur sine resistentia medii, nulla pars spatii esset in qua non cogeretur quiescere, quare nihil posset moueri. Dicunt quidã, illam sagitam non quiescere cũ tangit mõtem, sed aliquanto prius quam tangit. Detineri. n. ab aëre, quẽ per partem infernã mõs deorsum inpellit. Sed in hac dillutione duplex est vitium. In primis ponitur res minimè necessaria: deinde respondetur per id qđ est per accidens. Nã etsi aliquis aër pulsus ante mõtẽ eat, nõ necesse est vt sagita quæ à tota montis mole deorsum raperetur, ab aëre detineri possit. Immò verò possit sagita aërem secando penetrare, & molem illam tangere, signũ aũt, ꝙ posset in illa infigi. Nam quod quidã dicunt motu ipsius incidentis in quietam sagitã fieri infixionem falsum est. Si. n. incideret moles in sagitam quiescentem, & aliqua in parte firmatam, infigeretur, tñ cũ in aëre pendeat, & nata iam sit, quia finitus est impetus, deorsum ire, cedet descendẽti corpori, & ab eo rapietur, tñ non infigetur. Deinde si quã maximè concederetur illam sagitã à præeũte aëre detineri, tñ nulla mora fieret per accidẽs ob externã resistẽtiã, nõ ob ipsam reflexionem per se. Quare si quis tollat eã resistentiã, ponens aut aërem esse tenuissimũ aut exiguum, aut illud instans quo tãgitur moles illa à sagita, esse vltimũ quo non mouetur

Decisio

tur(nã hoc posito moles illa mox post hoc instans mouebitur & sagita mox post hoc instans descendet) nõ quiescet in puncto reflexionis nã in nunc neq; est motus neque quies. Quod.n.alii, putantes se aliquid pro Arist. respondere, dicunt, fieri quietem momentaneam, seu instantaneã, & quæ nullũ tempus duret, sed solum instans, non dicitur physicè. Nã eadem quies est in quocũque puncto spatii per qđ res ascendit, quia quodcumque punctũ spatii tangitur in aliquo nunc, in nũc aũt non est motus, quare isto modo, in quouis pũcto sit quies. Quid igitur superest? Certè qđ Egidius putauit est verissimum, quod per se recurrit, & propria vi, vt sagita aut lapis finito iam impetu, proprio pondere recurrens, necessariò quiescere in puncto reflexionis, quod tñ vi externa detrahitur, posse sine mora retrocedere. Hec etiã sententia fuit Gale. vt in controuersiis medicis indicauimus. Nũc illud vnũ lubet monere, etsi Egidius, & qui eius sententiam secuntur hoc dicant verè, tñ Arist. ita intellexisse falso dicunt. Nam ille hanc assertionẽ cõfirmare vult, nullo modo posse fieri super linea recta motum, perpetuum, quia cum non sit via infinita accidet reflexio, in reflexione aũt non possit non esse quies. Neq; quidem Ari. capit argumenta à facultate mouente, qualia ꝓfectò caperet si ita intelligeret, sed ab ipso motu. Id verò est euidentissimũ. Nam si ille intelligeret, vt nos intelligim⁹, profectò hæc ipsa explicatio solueret illius argumenta. Nam si in eius venissemus sententiam, quo pacto possent eius argumenta esse cõtra nos? Constat tñ illa indigere nunc quoque dillutione. Ille ergo affirmauit, numq̃ posse fieri cõtrarios motus sine quiete media, Nos verò dicimus, id quidẽ tunc solũ ita habere, cum secundus motus est naturalis, & interno rei ipsius impetu agitur. ꝓinde nostrum nunc sit huius causam reddere, deinde respondere argumentis Ari. Imprimis vt fiat reflexio, & secundus motus naturalis sit, fieri potest duobus modis: aut ambobus motib⁹ propria virtute factis, vt cor dilatatur propria vi & constringitur: aut primo facto vi externa, secundo propria, vt lapis sursum proiectus vi, descẽdit deorsum sua natura. Si primo modo fiat, nõ possit eadẽ natura partis apponere impetum cõtrarium, antequã contrarius omnino sedatus sit. Prius.n. opponitur visquã sit iam motus, non apponitur aũt vis contraria, anteq̃ prior motus cessauerit, alioquin eadẽ natura nitetur in cõtraria, Ergo dum apponitur vis ad cõtrarium motum, antequam is motus fiat, quiescitur: si verò primus motus est violentus, & secũdus naturalis, motus violentus fit dum impetus externus est maior externo, succedit naturalis cum iam est maior impetus internus extero. Non põt autem internus de minori fieri maior quin sit æqualis: cùm aũt erit æqualis, quiescet res necessario. Neq; solũ dum erit exactè æqualis (idẽ fortasse erit solum nunc tẽpptis) sed etiam dum non erit tanto maior, vt possit mouere aut tãtò minor, vt nõ ꝓhibeat motũ cõtrariũ. Nõ.n. quicũque excessu põt facere motum, sed certus quidã. Constat ergo iã cum vltimus motus est naturalis nõ posse cõtrarios motus non dirimi aliq̃a quiete: si tñ aut ambo sint violẽti, aut vtimus, nihil prohibere. Argumentis Ari. facile est respondere nam vel eorum infimitas indicat eius assertionẽ non esse necssariam. Primum siq̃d mouetur ab.a.in.g ego cõcedo recedere ab.a.& accedere ad.g.& abesse ab.a.& deinde adesse.g. Nã vt absit ab.a. non opus est vt quieuerit in.a.sed vt fuerit, neque vt adsit.g. vt quiescat in.g.sed vt sit, nõ est autẽ idẽ esse in, & quiesere qđ si illis verbis γεγονέναι & ἀπογεγονέναι quib⁹ Ari. vtitur aliqua talis vis inest, vsignificetur racedere inde vbi fuerit quiecens, & accedere ad id in quo sit quieturur, negabo propositionẽ argumenti, & erit ꝑtitio principii. Negabo etiã si quid per toam illã lineã.a b c d e f g. feratur, citius finie motum q̃ si latum ab.a.ad.f. recurrat ad.a.nisi ob externã aliquam causam aut qđ in.f. finiatur impet⁹ externus quiescatur in.f.id verò nõ est in omni reflexione necẽarium. Quod colligitur fieri vt simul acedatur & recedatur à puncto quo reflexio fit nego, nisi illud. Simul intelligatur qual nullo tẽpore intercedente. Nam ita concedo. Verũ nulla motus pars pertinet ad vtrumq;, ascensum dico & descensum. Sed instans quo est in extremo, est extremum vtrisque. Illud verò cum sit indiuisibile, neutri⁹ motus sit pars. Quod dicitur omne quod incipit moueri, mouetur in omne illud inquod continenter motũ venire põt, verum quidẽ sit, si intelligatur inquod cõtinẽter motum eodẽ motu venire põt. tñ quod mouetur ab.a.p lineam

Egidius. Respondetur.

lineam rectam, non pōt eodē motu redire
ad. a. sed contrario, neque quidē illi motus
sunt idem, neque continuati, etsi quis non
intercedat, sed contigui, & deinceps positi
quia sunt contrarii. Porrò quod dicitur o-
nem motum incipere à priuatione eius, &
à contrario, ego concedo. Non fit tñ proin
de, vt omnis motus incipiat à quiete cōtra
ria, sed aut à quiete, aut à contrario motu.
Nam in motu contrario est maior ratio cō
trarii, & priuatio huius, in ascensu descen
sus, in descensu ascensus. Cum dicitur fie-
ri, vt idem tēpus sit calefactionis & refrige
rationis, si intelligatur idem primùm, seu
secundum se totum, seu vt alii dicunt, ade
quate, nego, quia in nulla eadem temporis
parte simul calescit & frigescit, si verò in-
telligatur inadequate concedo. Nam om
nium rerū & motuū est idē tempus quia
cū nunquam interrumpatur, omnia secu-
la idem tempus est. Porrò quo pacto pos-
sit esse idē extremum dealbationis & deni
gationis nō est dictu difficile, vt scilicet cā-
doris & nigriciei, sine aliquo medio. Sed
de hac quæstione dicta sunt mihi multa,
cum hic, tum alibi.

51 De causis proiectionis.

MOtus eorum quæ proiecta feruntur
valde dubiā hbet causam nām vide
tur quod proiicitur moueri à proii-
ciente, alia tñ ratione videtur non posse id
fieri, quia quod proicit non tangit rē pro
iectam, quinimo pō antequam proiectio
cessauerit, res proiicens interiisse. Omnis
aūt motus agitur tactu. Prætereà, omne
quod mouetur, mouetur ab aliquo, siue à
se ipso, siue ab alio, at ergo id quod proii-
citur mouetur à se, aut ab alio: à se non pōt
cùm motus est præter naturam, velut lapis
proiicitur sursum: si ab alio, certè mouea-
tur à proiiciente. Non videtur autē moue
ri quod mouetur, nisi cum mouet res quæ
mouet. Non potest autem mouere nisi qd
mouetur, ergo tā cito cessaret moueri qd
proiicitur, quàm quod proiicit mouere, qd
tamen est falsum. Nō ergo mouetur à proii
ciente. Quod si respondeas, non omninò
esse verum, nihil mouere quod nō mouea
tur, quia magnes quiescens trahit ferrum,
adhuc superest dubitatio. Nā magnes mo
uet dum ferrum mouetur, & magnes vir- *Enarratio.*
tute tangit, & ferrum tangitur, tñ qd proii
cit, non tm̄ non cessat mouere, dum proie
ctio fit, sed ne tangit quidem, quia aliquan
do etiam interest, quare ne mouet quidē.
Vt lib. 4. de physi. doct. Arist. narrat, & .8.
rursum repetit, capite vltimo, quidam dice
bant proiectiones causam esse antiparista-
sim, hoc est obsistentiam eam quæ à circū-
posito medio fit, re proiecta scindente an-
teriorē partē aëris (si in aëre proiectio cō-
tingat) & eo obsistente primū, deinde ac-
currente per partem posteriorem in locum
rei quæ proiicitur, & proinde impellente
eam, verum hanc rationem proiectionis,
Aristo. refutat, dicens, fieri vt proiectionis
motus cesset, statim ac prima portio aëris
æqualis corpori quod proiicitur, concesse
rit ei suum locum, & occupauerit locū ei⁹.
Quapropter Aristo. aliam rationē proie-
ctionis dicit, nimirum eum qui proiicit,
pellere antrorsum partem quandam aëris
& eam pellere partem aliam, & illam aliā
rursum, & ita deinceps, vsque dum finia-
tur vis partis motæ, adeò vt sequente non
moueat: quamcumque autē earum defer-
re secum rem proiectam, maiori impetu,
quam res ipsa habeat, vt eat deorsum. Cæ-
terum neque hæc ratio videtur satis ido-
nea. Imprimis quia fit (id verò Arist. ipse cō
cedit) proiectionem nō esse vnum motum
continuatum, sed multas motiunculas de
inceps positas. Nam nō erit ab vno mouen
te, sed à multis aereis partibus, successiuis
motibus motis, & mouentibus. Deinde vi
detur falsum, dicere manus proiicientis aē
rem impellere, tanta vi, vt lapidem secum
deferat, tanta celeritate, tam longum spa-
tium. Nam quæ molia sunt, non sunt apta
proiici, quia non concipiunt impetum à re
pellēte, id indicant lana, & floci, & paleæ.
Aër ergo cum sit mollissimus, etsi manu
mea pulsetur, haud pelletur multa vi. Nō.
n. arbitror, feretur tāta quanta nonnunq̄
flat boreas, qui tñ nō transfert lapides tā lō
ge. Prætereà queuis illarū partiū cessat mo
ueri, anteq̄ mouere. Nulla aūt earū potest
mouere rē impulsam, nisi quousq; ipsa mo
uetur, non pōt ergo prima trāsferre in secū
dā, sed cessabit, simul ac prima aëris pars
moueri cessauerit. Prætereà sunt quędam,
quę proiecta mouentur circulo, in eodē lo
co manētia, vt rotæ, quas si semel impulle
ris, videas moueri deinde per sese, ei tñ pro
iectioni nullus dictorum modorum est
satis idoneus. Nam aër nullus succe-
dit in rotæ locum, neque partes aëris,
eam

eam im partes transmittent, cum ea locum nō mutet. Ergo haut dubiè, est alia causa ꝑiectionis. His argumentis plerique cēsent, proiectionem agi ab ipso proiiciente, impetu quodam, quem in ipsam rē imprimit qui dum durat, res pulsa mouetur, quo versus proiecta est, eo lāguescente, is motus sensim remittitur, vsque dum res, si grauis est, decidit. Iusta hanc sententiam motus ꝑiectionis, est vnus & continuatus, nō solū quia eiusdem mobilis, & sine intermissione, sed etiam quia ab eodem mouente. Sed nascitur mox magna contentio, quid sit ille impetus: quibusdā putantibus, impetū nihil esse aliud, q̄ motum qui rapide agitur quia qui proiicit, mouet rem proiectam, & ipsa proiectio motus quidā est: at verò qui mouet, nihil aliud videtur generare in re quæ mouetur, q̄ motū. Impetus ergo quē imprimit mouendo, ipse motus est. Sed re vera si ipse motus est impetus, frustra vocatur impetus, & nihil refert eū ponere, vt respondeatur dubitatis. Nam maxima dubitatio est hac in parte, qua ratione quod ꝓiicit moueat rem proiectam quā non tāgit. Si aūt impetus est ipse motꝰ, nulla ratio cōtactus est, cū recesserit res proiiciens. Nam in mobili nulla virtus mouentis erit, sed ipse motus. Quod si dicas rē quæ proiicit, antequā recesserit res proiecta, genuisse motū hunc verò vbi semel genitus sit, durare aliquandiu, nōdum est satis, quia motus non est nisi dum fit, non pōt aūt fieri nisi à tangente, ergo mox ac recederet res proiecta à mouente, cessaret moueri, nisi quid aliud præter motus initium illic reliquisset. Ob hoc argu. quidam, qui volunt impetum esse eundē motum, statuunt, motū secundū locum esse accidens quoddam mobili, quādo mouetur, inhærens, intēsibile, & remissibile, & permanens. Sed hoc est absurdū. Nā quid aliud est motus, q̄ ipsum moueri? Hoc aūt quid aliud quam ipsum pati? Hoc verò non manet, sed fluit. Præterea cū tēpus sit motus quà prius & posterius habēs certè tempus quoq; sit res permanens. Superest ergo impetum nō esse ipsum motū, sed eā vim, quā mouens in mobili reliquit, videlicet qualitatem quandam motiuam, velut grauitatē & leuitatē esse dicunt, præter q̄ quod, hæ fuerint motiuæ motu interno, impetus verò externo. Internum voco eum qui à seipso, externum eum qui ab alio. Hæc quidē qualitas fuerit permanens, intensionem & remissionē accipiens. Res ergo proiiciens, cum tangens rē quæ proiicitur, impellit, impetū quendā immittet, ꝑ quem mouet rem etiam lōge positam, dū in ea impetus impellētis manet. Atqui hoc ipsum manere impetū mouentis in re quę mouetur, tactus quidā est. Sed rogant, qui putant grauia & leuia moueri à generante cur si concedimus rem quæ proiicitur moueri à proiiciente, etsi absit longe, quia eius impetus manet, negamus posse grauia & leuia moueri à generante, etsi non adsit? Hos ego contra, interrogo, cur si in causis proiectionis non sentiunt cum Arist. sentire cum illo sibi imperant in motu à generāte? Cur si licet ab eo dissentire, non sequuntur vtrobique quod est magis cōsentaneū. Non est autē simile quod nos dicimus de proiiciente, & quod illi de generante. Nā quod proiicitur vnico illo motu, qui cum tangeretur à proiiēte incepit, moueri potest, eo impetu quem ab eo accepit, atque mox ac illa motus sistitur, aut interrumpitur, finitur ille impetus: tū illi dicunt rem quamcumque naturalē moueri ab eo, à quo genita est, nō ō motu solū quē mox genita habuit, (si forte in medio aliquo motu genita est, vt ignis ex ascendente fuligine) sed etiā quoties moueri contigerit etiāsi millies mota, millies rursū quieuerit, id verò est inopinabile. Sed superesse adhuc videtur obiectio, in iisquę proiecta resiliūt. Ea.n. videntur redire eodē impetu quo ꝓiecta sunt, si aūt eodē impetu redeunt, cū iuxta placita Arist. necesse sit in puncto reflexionis quiescere, tūc impetus ille iuuet non tm̄ ad eum motum qui à principio incepit, sed etiam ad cōtrarios, & separatos quiete. Quare non rectè videbamur dicere impetum eum finiri simul cum motu. Resilire aūt res reflexas, eodē impetu quo ꝓiectę sunt, constare videtur, quia tanto celerius resilit vnumquodque, quanto vehementius proiectum est. Quidam ita putāt res scilicet quæ resiliunt, ab eodē proiiciente, & eodē impetu moueri, neque quidem eos esse duos motus, sed eundē reflexum. Tn̄ hoc nō dicitur physicè. Nā res quę proiecta est, repellitur, & resilit, motus autem ipse nō pōt reflecti neque.n. res flexilis est, neque omnino aliter mutabilis, velut Ari. cap. 2. lib. 5. de phys. doct. monstrauit non pōt ergo esse idē motus proiectio & resultus. Nā præter dicta sunt in cōtrarios fines

Quid sit impetus.

De iis quæ resiliunt.

à con-

à contrariis per eandem viam, sunt ergo contrarii motus, aut deinceps positi si quiete separãtur, aut cõtigui si non separãtur, (posse. n. cõtrarios motus esse sine quiete media mõstratũ est antea) quare nõ fiunt eodẽ impetu. Nã vnus impetus in vnam tm̃ speciem esse põt. Neque ergo ab eodẽ. Fierent.n. à proiicente: ille tñ non mouet rem proiectam nisi impetu. Si ergo nõ facit, ille idem impetus resultum, non agitur resultus à proiiciente, sed ab ipsa re in quã incidit res pulsa, & ex qua resilit: velut si re percutitur à pariete, paries ipse est qui repercutit, quia pila incidens in parietem, pellit parietem, quia aũt pellit repellitur. Id verò ita fieri, resultum inquam à re ex qua aliquid resilit, Aristo. docet capite tertio libri quarti de cœlo in fine capitis, dicens, mouet autem & quod à principio fecit, & quod diuulsit, aut vñde desiliuit. Atqui ita evenire constat. Nam cũ res aliquæ occurrunt sibi mutuo, mutuo pellunt sese, retrocedere autẽ cogitur, quę est debilior, quę firmior est, aut exiguũ mouetur, aut sustinet pulsationem quieta. Potest autem occursus aliquorũ fieri aut ambobus motis, aut alio quiescente & alio incurrente, in illud. vtcumque autem fiat, vtrumque pellit, & pellitur, euertitur autem quod infirmius. Paries ergo pulsatur à pila, & pila à pariete, pila verò vt infirmior, mouetur plus. Sed superest obiectio. Omne quod mouet mouetur infra primam causam, si ergo paries mouet pilã, mouetur à pila, nõ videtur autem moueri, neque mouet igitur. Si cui placet sentẽtia puerium, omne quod ab alio impellitur, moueri loco, etsi insensibiliter, perinde dicet in pariete qui pulsatur à pila, fieri. Sin autem id non placet, dicet, non opus esse, vt omne quod mouet loco, moueatur loco, sed vt moueatur aliquo modo, idest patiatur aliquid. Mouetur verò ita paries, quia pulsatur, & impellitur. Sed dices, si hac ratiõe fieret repulsio proiectorum, non deberet quodcumque tanto celerius repelli, quanto vehemẽtius est proiectum, immo vero deberet contra fieri, vt tanto tardius repelleretur, quanto incideret vehementius. Nam in omnibus actionibus motus tanto vnum quodque patitur minus, quanto agit plus, & tanto magis vincit, quãto minus vincitur. Ergo & paries tanto plus repellet, quãto minus pelletur, quia tanto minus potest pellere vnumquodque quanto debilius incidit. Huic obiectioni ita respondetur. Non eadem est ratio in alteratione secũdum qualitates, & in latione. Nam in commutationibus quæ secundum qualitates aguntur, cum neque agatur neq; repugnetur quidquam, nisi qualitatibus ipsis, & qualitates ipsæ mutuo se extinguant, fit vt quo plus aliquid patitur, eo minus possit repugnare quia quo pl⁹ patitur eo plus amittit eius qualitatis qua erat repugnaturũ: sed in repulsionib⁹, cũ nõ tãtũ repugnetur facultate aliqua, aut vi motoria, sed ipsa partiũ firmitudine, & soliditate substãtię, & hęc nõ amittatur, etsi res pulsetur vehementer, fit vt quo quidque pulsatur vehementius, eo plus repellat quia cum duo congrediũtur, eo vtrumque repellitur plus, quo vehemẽtior est congressus, quo id quod in aliud incidit incidit vehementius, aut quo an bo aut alterum, indifferens autem est, sit hoc aut illud quod vehementius feratur: vtrũuis enim sit congressus est vehementior, & vtrumque repellitur magis. Perinde enim est, pilam vehementem incidere in parietem quiescentẽ, atque si in pilam quiescentem vehementius incideret paries. Nõ enim minus vitrum frangitur, si quis vitro feriat lapidem, quàm si lapide vitrũ, & vtrumuis fiat, à lapide frangitur. Sed de hac quæstione dicta sunt satis, atque adeò totius operis hic est finis.

FINIS.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm